Si autem statio publica fuerit per illas ecclesias fo et fratres ibidem vigiliam celebraverint, peracta vigilia cu decore mane revertant in claustra, ut omnino ad capitul niant: si autem negligens retardaverit, et ad capitulum n rit, prima, et secunda vice pro hoc castigetur: si aute emendaverit, illa die quando ad capitulum non venerit, abstineat usque in crastinum.

Cap. XXXIV. *De matricolariis, ut ad lectionem divi audiendam veniant in statuta ecclesia in domo.*

Dum de corrigenda vita clericorum canonicorum rebu necessariis, ut nobis iuxta mediocritatem nostram et capaci sensus per Dei adiutorium visum fuit, descripsimus, ver ad matricolarios tam domi, quam et in suburbanis; quia secundum institutionem antiquae ecclesiae eorum esset co satio; sed sub magno quodam periculo, et negligentia, ita dixerim absque praedicatione, et confessione erant in qua securitate positi; neque ad domum ad stationem publicam audiendum verbum Dei veniebant, neque in reliquis stationil sed erant omnes sedentes unusquisque in loco suo. Propt una cum consensu fratrum spiritualium constituimus, ut bi mense per totum annum de quatuordecim in quatuordecim in sabbato omnes matricularii tam qui in domo sunt, quam qui per ceteras ecclesias infra civitatem, vel vicis, matricu habent, ad conventum statutum omnes in ecclesia in domo niant, mane primo exspectantes in ordinibus suis, usque d signum pulsaverit horae tertiae: tunc veniens episcopus, si

aliis utilitatibus occupatus non fuerit, et iubeat legere lectionem de tractatibus, vel homilias sanctorum patrum congruas, quae aedificent audientes, et doceat eos viam salutis, qualiter ad vitam aeternam Deo auxiliante perveniant.

Dicta tertia, si episcopus non venerit, tunc presbyter custos ecclesiae sancti Stephani in vices illius iuxta capacitatem suam et legat et doceat eos viam salutis: et videat omnino presbyter, ut hora constituta, si episcopus ibidem non venerit, non praetereat ut hoc adimpleat, quod hic scriptum est; et ipsi presbytero confessiones suas bis in anno faciant ipsi matricularii; una vice in quadragesima; alia in Missa sancti Remedii usque in transitum sancti Martini. Et si suadente diabolo aliqua vitia, scandala inter eos orta fuerint, ut necesse sit confessionem suam dare qui hoc perpetraverit in proximo conventu, ubi lectionem audiunt: finita lectione faciat confessionem suam pariter ipsi presbytero; et si ipse non vult confiteri peccatum suum, et hoc celaverit: et si per alium inventum fuerit, ille qui delictum abscondit, a presbytero qui eis verbum annunciat secundum modum culpae aut excommunicetur, aut corporali vindictae subdatur. Et per singulas matriculas sit primicerius matricularum de ipsis, qui super eos curiose agat: et si aliquis ex ipsis celare voluerit scelera sua, et primicerius ipsorum hoc investigare potuerit, nullatenus abscondat presbytero, qui eis lectionem legit: et si fecerit, similiter ille qui hoc commiserit ab ipso presbytero iudicandus est; et si hoc ipse presbyter per se emendare non potuerit, innotescat archidiacono, vel primicerio, ut ipsi hoc corrigant rationabiliter secundum modum culpae: et si opus fuerit, in notitiam episcopi veniat, ut ipse hoc emendet.

Ut diximus, omnes omnino matricularii statutis diebus ad lectionem veniant, et necessitates tam animae, quam corporis ipsi presbytero patefaciant: et ipse hoc aut per se emendet, aut priores suos innotescat .... Et si aliquis de ipsis matriculariis remanserit, qui non venerit ad lectionem, nisi infirmitate cogente, corripiatur semel et secundo: et si non emendaverit, excommunicetur: et si amplius hoc ex contemptu fecerit, eiiciatur de matricula, et alius, qui verbum Dei vult audire, mittatur in loco ipsius. Et constituimus eis, ut in eleemosyna nostra, vel successorum nostrorum de domo accipiant omni tempore, quando ad illam lectionem audiendam venerint, singuli singulos panes, et portionem de lardo illa una vice, illa alia vice portionem de formatico: per totum annum sic faciant, ut diximus, qui ibidem de

ipsis matriculariis venerint; Et in Quadragesima duas vices accipiant vinum cum pane inter quatuor sextarium unum. In Coena Domini accipiant vinum cum pane supradicta mensura, et portionem de lardo, et formatico. Et consideravimus quod octo modia de pane cocto ad unamqamque vicem ad hoc habeat; et illa vice quando lardum debent accipere, accipiant baccones sex; et quando formaticum accipiunt in unaquaque vice pensa una. Hoc colligit de frumento per annum modia ducenta. De illo frumento sit, qui de Warmacinse venit, et accipiat illud quando exinde venit. De lardo baccones sexaginta accipiat ipsis Kalend. Ianuar. De formatico pensas duodecim accipiat ipsa Missa sancti Martini. De vino modia viginti quatuor accipiat ipsa Missa sancti Martini. Et hoc totum accipiat archidiaconus, vel primicerius: et videant quod hoc sic dispensent, qualiter Deo placeat, et constitutum habemus. Et merces nostra vel successorum nostrorum, vel qui hoc faciunt exinde [1]) decrescat. Et ad ligna comparandum, unde ipsum panem faciant, donet episcopus de denariis uncias duas et dimidiam Kalend. Maias. Et si aliquid superaverit de hoc, quod superius diximus, aliis pauperibus, cui necesse est, archiepiscopus, vel primicerius, aut cui iusserint, tribuat. *Explicit.*

VII. Capitulare ecclesiasticum Karoli Magni a. 789*).

Regnante domino nostro Iesu Christo in perpetuum. Ego Carolus, gratia Dei eiusque misericordia donante, rex et rector regni Francorum, et devotus sanctae aecclesiae defensor humilisque adiutor, omnibus ecclesiasticae pietatis ordinibus, seu saecularis potentiae dignitatibus, in Christo domino deo aeterno, perpetuae pacis et beatitudinis salutem. Considerans pacifico piae mentis intuitu, una cum sacerdotibus et consiliariis nostris, abundantem in nos nostrumque populum Christi regis clementiam, et quam necessarium est non solum toto corde et ore eius pietati agere gratias incessanter, sed etiam continua bonorum operum exercitatione eius insistere laudibus, quatenus qui nostro regno tantos contulit honores, sua protectione nos nostrumque

1) *Forte*, exinde crescat.

*) De insigni hoc capitulari vide Lehrbuch des Kirchenrechts §. 92. Repetivi editionem apud Pertz Legum Tom. I. p. 53., omissis variiis lectionibus, quae parvi momenti sunt.

regnum in aeternum conservare dignetur. Quapropter placuit nobis vestram rogare solertiam, o pastores aecclesiarum Christi, et ductores gregis eius, et clarissima mundi luminaria, ut vigili cura et sedula ammonitione populum Dei per pascua vitae aeternae ducere studeatis, et errantes oves, bonorum exemplorum seu adhortationum humeris intra aecclesiasticae firmitatis muros reportare satagimini; ne lupus insidians aliquem canonicas sanctiones transgredientem, vel paternas traditiones universalium conciliorum excedentem, quod absit, inveniens devoret. Ideo magno devotionis studio admonendi et adhortandi sunt, immo compellendi, ut firma fide et infatigabili perseverantia intra paternas sanctiones se conteneant: in quo opere et studio sciat certissime sanctitas vestra nostram vobis cooperare diligentiam. Quapropter et nostros ad vos direximus missos, qui ex nostri nominis auctoritate una vobiscum corrigerent quae corrigenda essent. Sed et aliqua capitula ex canonicis institutionibus, quae magis nobis necessaria videbantur, subiunximus. Ne aliquis, quaeso, huius pietatis ammonitionem esse praesumptiosam iudicet, qua nos errata corrigere, superflua abscidere, recta cohartare studemus, sed magis benevolo caritatis animo suscipiat. Nam legimus in regnorum libris, quomodo sanctus Iosias regnum sibi a Deo datum circumeundo, corrigendo, ammonendo, ad cultum veri Dei studuit revocare. Non ut me eius sanctitate aequiperabilem faciam, sed quod nobis sunt ubique sanctorum semper exempla sequenda, quoscumque poterimus, ad studium bonae vitae, in laudem et in gloriam domini nostri Iesu Christi, congregare necesse est. Quapropter, ut praediximus, aliqua capitula notare iussimus, ut simul haec eadem vos ammonere studeatis, et quaecumque vobis alia necessaria esse sciatis, ut et ista et illa aequali intentione praedicetis. Nec aliquid quod vestrae sanctitati et populo Dei utile videatur, amittite ut pio studio non ammoneatis; quatenus ut et vestra sollertia et subiectorum oboedientia aeterna felicitate ab omnipotente Deo remuneretur.

OMNIBUS.

I. Sunt enim aliqui, qui culpis exigentibus ab episcopo proprio excommunicantur, et ab aliis ecclesiasticis vel laicis praesumtiose in communionem accipiuntur: quod omnino sanctum Nicenum concilium, simul et Calcidonensé, necnon et Antiochenum atque Sardicense, fieri prohibent.

Conc. Nic. can. 5. De his qui excommunicantur, sive Clerici, sive laici, ab Episcopis per suas quasque parochias, servetur ista sententia, ut ii qui ab aliis excommunicantur, ab aliis non recipiantur. Requiratur sane ne forte pro aliqua indignatione animi aut contentione, aut qualibet tali commotione stomachantis Episcopi, abiecti sint. Ut ergo haec digna possint examinatione perquiri rectum esse visum est per singulos annos in singulis quibusque provinciis bis in anno Episcoporum Concilia fieri, ut simul omnes in unum convenientes ex universa provincia, eiusmodi examinent quaestiones; ut ita demum qui ob culpas suas Episcoporum suorum offensam merito contraxerint, digne etiam a caeteris excommunicati similiter habeantur, usquequo vel in commune omnibus vel ipsi Episcopo suo fuerit visum humaniorem circa eos tenere sententiam. Agantur autem Concilia, semel quidem ante dies Quadragesimae; ut omnibus, si quae sunt, simultatibus amputatis, mundum Deo solemne munus possit offerri. Secundo vero agantur circa autumni tempus.

Conc. Antioch. can. 2. Non autem liceat communicare excommunicatis, neque per domos ingredi, et cum eis orare qui Ecclesiae non participant, neque in alteram Ecclesiam recipi qui ab alia segregantur. Quod si visus fuerit quilibet Episcoporum vel Presbyterorum, aut Diaconorum, vel etiam quis in canone detentus, excommunicatis communicare, et hunc oportet communione privari, tanquam Ecclesiae regulas confundentem.

Ibid. can. 6. Si quis a proprio Episcopo excommunicatus est, non eum prius ab aliis debere suscipi, nisi a suo fuerit receptus Episcopo, aut Concilio facto occurrat et respondeat. Et si synodo satisfecerit, et statuerit, sub alia sententia recipi oportere. Quod etiam circa laicos, et Presbyteros et Diaconos, et omnes qui in Clero sunt, convenit observari.

Conc. Sardic. can. 16. Hosius Episcopus dixit: Hoc quoque omnibus placeat, ut sive Presbyter, sive Diaconus, sive quis Clericorum, ab Episcopo suo communione fuerit privatus, et ad alterum Episcopum perrexerit, et scierit is, ad quem confugit, eum ab Episcopo suo fuisse abiectum, non oportet ut ei communionem indulgeat. Quod si fecerit, sciat se convocatis Episcopis causas esse dicturum. Universi dixerunt; Hoc statutum et pacem servabit, et concordiam custodiet.

EPISCOPIS.

II. Item enim habet in eodem concilio, ut eorum qui ad ordinandum veniunt, fides et vita prius ab episcopo diligenter discutiatur, et sic ordinentur.

Conc. Nic. can. 9. Si qui sine examinatione provecti sunt Presbyteri, et examinati confessi sunt peccata sua, et cum confessi sunt, contra regulam venientes homines manus eis temere imposuerunt,

hos ecclesiasticus ordo non recipit. In omnibus enim quod irreprehensibile est catholica defendit Ecclesia.

OMNIBUS.

III. Item in eodem concilio, necnon et in Antiocheno, simul et in Calcidonense, ut fugitivi clerici et peregrini a nullo recipiantur nec ordinentur, sine commendaticiis litteris, et sui episcopi vel abbatis licentia.

Conc. Nic. can. 16. Si qui sine respectu agentes, et timorem Dei ante oculos non habentes, neque ecclesiastica statuta custodientes, recesserint ab Ecclesia sua, sive Presbyteri, sive Diaconi, sive in quocunque ordine ecclesiastico positi fuerint, hi nusquam suscipi debent in alia Ecclesia: sed cum omni necessitate cogantur ut redeant ad Ecclesias suas. Aut si permanserint, excommunicatos eos esse oportet. Si quis autem ausus fuerit aliquem qui ad alterum pertinet, ordinare in suam Ecclesiam, cum non habeat consensum Episcopi illius a quo recessit Clericus suus, irrita sit huiusmodi ordinatio.

Conc. Antioch. can. 3. Si quis Presbyter, vel Diaconus, vel quilibet Clericus, deserta sua Ecclesia, ad aliam transeundum esse crediderit, et ibi paulatim tentat, quo migravit, perpetuo permanere, ulterius ministrare debet, praesertim si ab Episcopo suo ad revertendum fuerit exhortatus. Quod si et post evocationem sui Episcopi non obaudiat, sed perseveraverit, omnibus modis ab officio deponi debere, nec aliquando spem restitutionis habere. Si quem vero post hanc culpam depositum alius Episcopus susceperit, et ipse a communi synodo poenam merebitur increpationis, tanquam ecclesiastica iura dissolvens.

Concil. Chalc. can. 13. Peregrinos Clericos et Lectores in aliena civitate, sine synodicis litteris Episcopi sui, penitus nusquam ministrare posse.

OMNIBUS.

IV. Item in eodem sinodo interdictum est praesbiteris, et diaconibus, vel omnibus qui in clero sunt, mulierem habere in domo sua propter suspicionem, nisi matrem, aut sororem, vel eas tantum personas quae suspiciones effugiunt.

Conc. Nic. can. 3. De suspectis vero omnimodis interdicit sancta synodus, neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque omnino ulli Clericorum, habere secum mulierem extraneam; nisi forte mater sit, aut soror, aut avia; in his namque personis et harum similibus omnis suspicio declinatur. Qui autem praeter haec agit, periclitabitur de clero suo.

OMNIBUS.

V. Item in eodem concilio, seu in decretis Papae Leonis, necnon et in canonibus quae dicuntur apostolorum, sicut et in lege ipse Dominus praecipit, omnino omnibus interdictum est ad usuram aliquid dare.

Conc. Nic. can. 17. Quoniam multi Clerici avaritiae causa turpia lucra sectantes, oblitique divini praecepti quod dicit: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, faenerantes centesimas exigunt, statuit hoc sanctum Concilium, ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipere, vel ex quolibet tali negotio turpia lucra sectari, vel etiam species frugum ad sexcuplum dare, omnis qui tale aliquid commentus fuerit ad quaestum, abscindatur ex clero, et alienus ab ecclesiastico habeatur gradu.

Can. apost. 44. Episcopus, Presbyter, aut Diaconus usuras a debitoribus exigens, aut desinat, aut certe damnetur.

EPISCOPIS.

VI. Auditum est aliquos presbiteros missam celebrare, et non communicare: quod omnino in canonibus apostolorum interdictum esse legitur. Vel quomodo dicere recte potest, si non communicaverit, *Sumpsimus, Domine, sacramenta?* Haec vero per singula capitula in statutis Nicoeni concilii legere potestis, seu in aliis sanctorum patrum sinodalibus edictis.

Can. apost. 9. Si quis Episcopus, aut Presbyter aut Diaconus, vel quilibet ex sacerdotali catalogo facta oblatione non communicaverit, aut causam dicat, ut si rationalis fuerit, veniam consequatur; aut si non dixerit, communione privetur, tanquam qui populo causa laesionis extiterit, dans suspicionem de eo qui sacrificavit, quod recte non obtulerit.

OMNIBUS.

VII. In Antiocheno concilio, quod his qui damnati sunt a synodo vel a suo episcopo, et postea ministrare praesumunt, praecipitur ut nullus audeat ei communicare. Si quis vero eo communicat, simili sententia subiaceat sicut et damnatus.

Conc. Antioch. can. 4. Si quis Episcopus a synodo, vel Presbyter vel Diaconus a proprio Episcopo, fuerit exauctoratus, et praesumpserit sacri ministerii quippiam, non ei amplius liceat, neque in alia synodo spem restitutionis habere, neque assertionis alicuius locum; sed et communicantes ei, omnes abiiciantur ab Ecclesia; et maxime si postquam cognoverunt sententiam adversus eum prolatam, ei contumaciter communicaverint.

EPISCOPIS.

VIII. Item in eodem concilio, ud ad metropolitanum episcopum, suffragani episcopi respiciant, et nihil novae audeant facere in suis parrochiis sine conscientia et consilio sui metropolitani, et metropolitanus sine eorum consilio.

Conc. Antioch. can. 9. Per singulas provincias Episcopos constitutos scire oportet Episcopum metropolitanum, qui praeest, curam et sollicitudinem totius provinciae suscepisse. Propter quod ad metropolitanam civitatem ab his qui causas habent, sine dubio concurratur. Quapropter placuit eum et honore praeire, et nihil ultra sine ipso reliquos Episcopos agere secundum antiquam patrum nostrorum, quae obtinuit, regulam, nisi haec tantum quae uniuscuiusque Ecclesiae per suam dioecesim competunt. Unumquemque enim Episcopum oportet potestatem habere suae dioecesis ad hanc gubernandam secundum competentem sibi reverentiam, ad providendum regioni quae subest ipsius civitati, ita ut etiam ordinare ei Presbyteros et Diaconos probabili iudicio liceat, et de singulis moderatione et pondere disceptare. Ultra autem nihil agendum permittitur citra metropolitani Episcopi conscientiam.

SACERDOTIBUS.

IX. Item in eodem concilio, simul et Acyronense, ut corepiscopi cognoscant modum suum, et nihil faciant absquae licentia episcopi in cuius parrochia habitant.

Conc. Antioch. can. 10. Qui in fundis et villis constituti sunt Chorepiscopi, tametsi manus impositiones ab Episcopis susceperunt, et ut Episcopi consecrati sunt, placuit sanctae synodo scire eos oportere modum proprium retinere, et gubernare adiacentes Ecclesias sibi commissas, et esse contentos propria sollicitudine et gubernatione quam susceperunt. Constituere autem his permittitur Lectores et Subdiaconos et Exorcistas, quibus sufficiat istorum tantum graduum licentiam accepisse. Non autem Presbyterum, non Diaconum audeant ordinare praeter conscientiam Episcopi civitatis, vel Ecclesiae cui adiacens invenitur, seu ipse, seu regio in qua praeesse dinoscitur. Quod si praevaricari ausus fuerit constituta, deponi eum et dignitate qua praeditus est debere privari. Chorepiscopus autem ab Episcopo civitatis vel loci, cui adiacet, ordinandus est.

Conc. Ancyr. can. 13. Vicariis Episcoporum, quos Graeci Chorepiscopos dicunt, non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare; sed nec Presbyteris civitatis sine Episcopi praecepto amplius aliquid iubere, vel sine auctoritate litterarum eius in unaquaque parochia aliquid agere.

OMNI CLERO.

X. Item in eodem concilio, ut episcopus vel quilibet ex

clero sine consilio vel litteris episcoporum, vel metropolitani, non audeant regalem dignitatem pro suis causis clamare, sed in commune episcoporum concilio causa eius examinetur.

Conc. Antioch. can. 11. Si quis Episcopus, vel Presbyter vel omnis omnino qui est sub ecclesiastica regula constitutus, praeter consilium et litteras eorum Episcopórum qui sunt intra provinciam, et maxime Metropolitani, ad Imperatorem perrexerit, hunc abdicari et eiici non solum communione debere, sed a propria dignitate privari, tamquam molestum et importunum imperialibus auribus, contra ecclesiastica constituta. Si autem necessitas cogat ad Imperatorem excurrere, cum deliberatione et consilio Metropolitani ipsius provinciae, Episcopi et caeterorum conscientia qui in eadem provincia sunt, et litteris, ire debebit.

EPISCOPIS.

XI. Item in eodem concilio simul et in Sardicense, necnon et in decretis Innocentii papae, ut nullus episcopus in alterius parrochia ordinationes aliquas audeat efficere, vel negotia peragere quae ad eum non pertinent.

Conc. Antioch. can. 13. Nullum Episcoporum debere ex alia provincia ad aliam transitum facere, et ordinare aliquos in Ecclesiis, aut provehere ad sacrum ministerium; nec alios illuc secum adtrahat Episcopos, nisi forte rogatus per litteras abierit, non solum a Metropolitano, sed ab his qui cum eo sunt provinciae Episcopis. Quod si nullo invitante inordinate superveniat, et aliquos vel ordinare praesumpserit, vel quoslibet actus illi Ecclesiae competentes ad se minus pertinentes usurpare tentaverit, vacua quidem et inania erunt omnia quae gesserit, ipse vero huius indisciplinati ausus et irrationabilis coepti dignas causas expendat, tamquam depositus a sancta synodo,. et propter huiusmodi praesumptionem iam praedamnatus.

Conc. Sard. can. 18. Ianuarius Episcopus dixit: Illud quoque statuat sanctitas vestra, ut nulli liceat Episcopo alterius Episcopi civitatis ministrum ecclesiasticum sollicitare, et in suis parochiis ordinare. Universi dixerunt: Placet; quia ex his intentionibus solet nasci discordia. Et ideo prohibet omnium sententia ne quis hoc facere audeat.

Innocent. Epist. 7. Innocentius Florentino Episcopo Tiburtinensi. Non semel sed aliquotiens clamat scriptura divina transferri non oportere terminos a patribus constitutos: quia nefas est, si quod alter semper possederit, alter invadat. Quod tuam bonitatem frater et coepiscopus noster Ursus adserit perpetrasse. Nam Nomentanam sive Filiciensem parochiam ad suam dioecesim a maioribus pertinentem, invasisse te, atque illic divina celebrasse mysteria inconsulto eodem ac nesciente, non sine dolore conquestus est. Quod si

verum est, non leviter te culpam incurrisse cognoscas. Unde si declinare cupis tantae usurpationis invidiam, nostris litteris admonitum te convenit abstinere. Certe si aliquid tibi credis iustitiae suffragari, integris omnibus et in pristino statu manentibus, post dies venerabiles Paschae adesse debebis, ut memoratis possis intentionibus respondere, partibusque in medio collocatis, quid antiquitas aut veritas habeat inquiramus.

EPISCOPIS.

XII. Item in eodem concilio, ut episcopus eius aeclesiae curam habeat ad quam ordinatus est.

Conc. Antioch. can. 21. Episcopum de dioecesi ad alteram dioecesim non debere transire, neque si seipsum ingesserit, neque si a populis fuerit violenter attractus, neque si etiam hoc ei ab Episcopis suadetur. Manere autem eum debere in Ecclesia Dei quam ab initio sortitus est, et non ab ea alio demigrare, secundum regulam super hoc olim a patribus constitutam.

EPISCOPIS.

XIII. Item in eodem concilio, necnon et in Calcidonensi, ut provinciales episcopi cum suo metropolitano bis in anno propter causas aeclesiae concilia celebrent.

Conc. Antioch. can. 20. Propter ecclesiasticas curas et quae existunt controversias dissolvendas, sufficere visum est bis in anno per provincias singulas Episcoporum Concilium fieri. Primo quidem post tertiam hebdomadam Paschalis festivitatis, ita ut in quarta hebdomada quae consequitur, id est, mediae Pentecostes, Concilium compleatur. Admoneant autem provinciales Episcopos hi qui in amplioribus, id est, qui in metropolitanis civitatibus degunt. Secundum vero Concilium Idibus Octobribus habeatur, qui dies apud Graecos hyperberetaei mensis decimus quintus invenitur. In ipsis autem Conciliis et Presbyteros et Diaconos praesentes esse oportet, et omnes quotquot se laesos existimant, et synodicam expectare sententiam. Nec liceat aliquibus apud semetipsos sine metropolitanorum Episcoporum conscientia synodos facere, quibus de omnibus causis constat permissum esse iudicium.

Conc. Chalc. can. 19. Ad aures nostras pervenit quoniam in provinciis non fiunt Episcoporum synodi secundum Canonum constituta, et hinc multa rerum ecclesiasticarum quae emendanda sunt negligi. Sancta igitur synodus constituit, secundum Canones Patrum, bis in anno Episcopos in idipsum in unaquaque provincia convenire quo Metropolitanus constituerit, et omnia quaecumque emerserint corrigere. Episcopi vero qui non convenerint, in propriis positi civitatibus, et non per profectionem absentes, maxime suppeditante salute,

et a necessariis et excusabilibus occupationibus liberi, fraternitatis intuitu corripiantur.

EPISCOPIS.

XIV. In concilio Laodicense, necnon et in Affricano, praecipitur, ut monachi et clerici tabernas non ingrediantur edendi vel bibendi causa.

Conc. Laodic. can. 24. Quoniam non oportet altario servientes, a Presbyteris usque ad Diaconos, et deinceps ordinis ecclesiastici omnes usque ad Ministros, aut Lectores, aut Psaltas, aut Exorcistas, aut Ostiarios, aut etiam eos qui in proposito sunt continentiae, tabernas introire.

Conc. Afric. can. 7. Ut Clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur nisi peregrinationis necessitate compulsi.

AD OMNES.

XV. Item in eodem concilio praecipitur, ut a vespera usque ad vesperam dies dominica servetur.

Conc. Laodic. can. 29. Non oportet Christianos iudaïzare et in sabbato vacare, sed operari eos in eadem die. Dominica vero, praeponendo eandem diem, si hoc eis placet, vacent tanquam Christiani. Quod si inventi fuerint iudaïzare anathema sint.

OMNIBUS.

XVI. Item in eodem concilio, ut ignota angelorum nomina nec fingantur, nec nominentur, nisi illos quos habemus in auctoritate: id sunt Michahel, Gabrihel, Raphahel.

Conc. Laodic. can. 35. Quod non oportet Christianos derelicta Ecclesia Dei, abire, et angelos nominare, et congregationes facere: quae omnia interdicta sunt. Quicunque autem inventus fuerit occulte huic idololatriae vacans, anathema sit, quoniam derelinquens Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, accessit ad idola.

CLERICIS ET NONNANIS.

XVII. Item in eodem concilio, quod non oporteat mulieres ad altare ingredi.

Conc. Laodic. can. 44. Non oportet mulieres ingredi ad altare.

SACERDOTIBUS.

XVIII. Item in eodem concilio, ut cauclearii, malefici, incantatores, et incantatrices fieri non sinantur.

Conc. Laodic. can. 36. Quoniam non oportet ministros altaris, vel Clericos, magos aut incantatores esse, aut facere quae dicuntur phy-

lacteria, quae sunt magna obligamenta animarum. Hos autem, qui talibus rebus utuntur, proiici ab Ecclesia iussimus.

OMNIBUS.

XIX. Item in eodem concilio, necnon et in Sardicense, quod non oporteat in villolis vel in agris episcopos constituere.

Conc. Sardic. can. 6. Non oportet in vicis et in villis Episcopum ordinari, sed eos qui circumeant constitui. Hos autem qui hinc ordinati sunt, nihil agere sine conscientia Episcopi civitatis. Similiter etiam Presbyter nihil sine praecepto Episcopi et consilio agat. Si enim subito aut vicus aliquis aut modica civitas, cui satis est unus Presbyter, voluerit sibi Episcopum ordinari, ut vilescat nomen Episcopi et auctoritas, non debent illi ex alia provincia invitati facere Episcopum, nisi aut in his civitatibus quae Episcopos habuerint, aut si qua talis aut tam populosa est quae mereatur habere Episcopum. Hoc omnibus placet? Synodus respondit: Placet.

SACERDOTIBUS.

XX. Item in eodem concilio, ut canonici libri tantum legantur in aeclesia.

Conc. Laodic. can. 59. Non oportet ab idiotis psalmos compositos et vulgares dici in Ecclesiis, neque libros qui sunt extra canonem legere, nisi solos canonicos novi et veteris testamenti. Quae autem oportet legi et in auctoritatem recipi, haec sunt: Genesis mundi, Exodus Aegypti, Leviticum, Numeri, Deuteronomium, Iesu Nave, Iudices, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Esdrae libri duo, liber Psalmorum CL, Proverbia Salomonis, Cantica Canticorum, Ecclesiastes, Iob, Esther, Duodecim Prophetae, id est, Osee, Amos, Ioel, Abdias, Ionas, Michaeas, Naiim, Abacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias. Item Isaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel. Novi testamenti Evangelia quatuor: secundum Matthaeum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Ioannem. Actus Apostolorum. Catholicae epistolae Petri II, Iacobi I, Ioannis III, Iudae I. Epistolae Pauli XIV. ad Romanos, ad Corinthios prima et secunda, ad Galatos, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses prima et secunda, ad Timotheum II, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos.

CLERICIS ET MONACHIS.

XXI. In concilio Calcidonense, ut non oporteat episcopos aut quemlibet ex clero per pecunias ordinari: quia utrique deponendi sunt, et qui ordinat, et qui ordinatur, necnon et qui mediator est inter eos.

OMNIBUS*).

XXII. Item de eadem re in canonibus apostolorum legitur, quam heresim iam ipse princeps apostolorum in Simone mago terribiliter damnavit.

Conc. Chalc. can. 2. Si quis Episcopus ordinationem pro pecunia fecerit, et vendiderit rem quae nisi gratia non adquiritur et sub pecunia ordinaverit Episcopus provincialem Episcopum, sive Presbyterum vel Diaconum, aut eorum quemquam qui in numero Clericorum continentur, aut accepta pecunia fecerit Oeconomum vel Defensorem, vel Ostiarium, vel quemcunque huiusmodi, pro turpitudine lucri qui hoc fecisse probatur, sui gradus periculum sustinebit. Sed et is qui ordinatur, nihil ex ordinatione quae pro negotiatione processit, utilitatis acquirat; sed fiat dignitatis vel rei quae ipsi pro pecunia commissa est, alienus. Si quis autem his tam turpibus et nefariis lucris medius interfuisse videtur, et is, si quidem Clericus fuerit, degradetur; si vero laicus aut Monachus, anathematizetur.

Can. apost. 30. Si quis Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus, per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, deiiciatur et ipse et ordinator eius, et a communione modis omnibus abscidatur, sicut Simon Magus a Petro.

OMNIBUS.

XXIII. Item in eodem concilio infra dua capitula necnon et in decretis Leonis papae, ut nec monachus nec clericus in secularia negotia transeat. Et ut servum alterius nullus sollicitet ad clericalem vel monachicum ordinem sine voluntate et licentia domini sui.

Conc. Chalc. can. 4. Item qui revera et manifeste solitariam vitam sectantur, honore competenti fungantur. Quoniam vero quidam sub praetextu habitus monachilis, Ecclesias et conventus et res communes disturbant, civitates indiscrete circumeuntes, et monasteria sibi constituere studentes, placuit nusquam ullum aedificare debere neque monasterium constituere, neque oratorium, absque civitatis Episcopi voluntate. Monachos vero qui sunt per singulas civitates et provincias, Episcopis subditos esse, et quietem diligere, et ieiuniis esse intentos et orationibus, et in illis locis observare in quibus seculo renuntiasse videntur. Nequaquam autem ecclesiasticis vel secularibus rebus communicare, nec importunitatem inferre desertis propriis monasteriis, nisi forte quaesiti fuerint propter causam necessariam a civitatis Episcopo. Sane in monasteriis non esse suscipiendum servum ad Monachum faciendum praeter proprii domini

*) In editione Baluzii haec inscriptio deest, et quae sequuntur cum antecedentibus una serie cohaerent, quod rectius puto.

voluntatem. Qui vero hoc constitutum nostrum excesserit, eum a communione suspendi decrevimus, ne nomen Dei blasphematur. Civitatis autem Episcopum oportet competentem providentiam monasteriis impendere.

Leo. c. 1. Admittuntur passim ad ordinem sacrum quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur. Et qui a dominis suis libertatem consequi minime potuerunt, ad fastigium sacerdotii, tamquam servilis vilitas hunc honorem capiat, provehuntur. Et probari Deo posse creditur, qui domino suo necdum probare se potuit. Duplex itaque in hac parte reatus est: quod et sacrum ministerium talis consortii vilitate polluitur, et dominorum, quantum ad inlicitae usurpationis temeritatem pertinet, iura solvunt. Ab his itaque, fratres carissimi, omnes vestrae provinciae abstineant Sacerdotes. Et non tantum ab his, sed ab aliis etiam qui originali aut alicui conditioni obligati sunt, volumus temperari, nisi forte eorum petitio aut voluntas accesserit qui aliquid sibi in eos vindicant potestatis. Debet enim esse immunis ab aliis qui divinae militiae fuerit adgregandus, ut a castris dominicis, quibus nomen eius adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur.

SACERDOTIBUS.

XXIV. Item in eodem concilio infra dua capitula, necnon et in Sardicense, ut nec episcopi nec clerici transmigrentur de civitate in civitatem.

Conc. Chalc. can. 5. De Episcopis et Clericis qui se de civitate in civitatem transferunt, placuit ut canones qui a sanctis Patribus de his ipsis constituti sunt, suam habeant firmitatem.

Conc. Sardic. can. 1. Hosius Episcopus dixit: Ut de civitate in civitatem quisquam si migraverit, aut Episcopus aut Clericus, excommunicatus remaneat.

OMNIBUS.

XXV. Item in eodem synodo, ut nullus absolute ordinetur, sine pronuntiatione et stabilitate loci ad quem ordinatur.

Conc. Chalc. can. 6. Nullum absolute ordinari, neque Presbyterum, neque Diaconum, neque penitus quemquam eorum qui sunt in ecclesiastico ordine, nisi specialiter Ecclesiae civitatis, vel vici vel martyrii, qui ordinandus est fuerit declaratus. Horum autem ordinationem huiusmodi, qui absolute ordinantur, constituit sancta synodus inefficacem esse, et nusquam posse ad ordinandis iniuriam praevalere.

MONACHIS ET OMNI CLERO.

XXVI. Item in eodem concilio, ut clerici et monachi in suo proposito et voto quod Deo promiserunt, permaneant.

Conc. Chalc. can. 7. Qui semel sunt ordinati, aut qui Monachi facti sunt, constituimus neque ad militiam neque ad secularem dignitatem venire. Cum vero hoc arripuerint, nisi poenitentes ad hoc revertantur quod propter Deum elegerant, anathematizentur.

SACERDOTIBUS.

XXVII. Item in decretis Innocentii papae de eadem re, ut monachus, si ad clericatum proveatur, propositum monachicae professionis non ammittat.

Innoc. c. 17. De Monachis qui diu morantes in monasteriis, postea ad clericatus ordinem perveniunt, non debere eos a priore proposito deviare. Aut enim sicut in monasterio fuit, et quod diu servavit, in meliori gradu positus amittere non debet; aut si corruptus, postea baptizatus, in monasterio sedens ad clericatus ordinem accedere voluerit, uxorem omnino habere non poterit, quia nec benedici cum sponsa potest iam corruptus. Quae forma servatur in Clericis, maxime cum vetus regula hoc habeat ut quisque corruptus baptizatus Clericus esse voluisset, sponderet se uxorem omnino non ducere.

OMNIBUS.

XXVIII. Item in eodem concilio, ut si clerici inter se negotium aliquod habuerint, a suo episcopo diiudicentur, non a secularibus.

Conc. Chalc. can. 9. Si quis Clericus cum Clerico causam habeat, Episcopum suum non deserat, et ad iudicia secularia currat sed prius apud Episcopum suum examinet causam, aut certe cum voluntate ipsius Episcopi causa dicatur apud quos partes utraeque voluerint. Si quis autem contra haec venire tentaverit, canonicis interdictis subiaceat. Si vero Clericus habeat causam cum extraneo Episcopo, vel cum suo, apud synodum provinciae causam dicat. Si autem Episcopus vel Clericus disceptationem habeat cum metropolitano Episcopo, aut ad dioeceseos primam sedem recurrat, aut ad sedem Constantinopolitanam, apud quam causa dicatur.

OMNIBUS.

XXIX. Item in eodem concilio, ut ne clerici nec monachi conspirationes vel insidias contra pastorem suum faciant.

Conc. Chalc. can. 18. Coniurationis vel conspirationis crimen etiam apud extrinsecas leges penitus amputatur: multo magis in Ecclesia Dei hoc ne fiat, oportet prohiberi. Igitur Clerici aut Monachi, si inventi fuerint coniurati, aut per coniurationem calumniam machinantes Episcopis vel Clericis, proprium amittant gradum.

OMNIBUS.

XXX. Item in eodem concilio, ut laici episcopos aut clericos non accusent, nisi prius eorum discutiatur existimationis opinio.

Conc. Chalc. can. 21. Clericos vel laicos, qui accusant Episcopos vel Clericos, quomodocunque et sine iudicio non suscipi ad accusandum debere, nisi prius eorum existimatio fuerit discussa.

OMNIBUS.

XXXI. Item in eodem, ut loca quae semel Deo dedicata sunt ut monasteria sint, maneant perpetuo monasteria, nec possint ult... fieri saecularia habitacula.

Conc. Chalc. can. 24. Quae Deo semel sacrata sunt monasteria secundum Episcoporum consensum, oportet in perpetuum monasteria nuncupari, et eorum res monasteriis reservari: et non posse ulterius coenacula secularia fieri. Si qui vero haec fieri permiserint, canonicis interdictis subiaceant.

OMNIBUS.

XXXII. In concilio Cartaginense. Primo omnium ut fides sanctae Trinitatis et incarnationis Christi, passionis, et resurrectionis, et ascensionis in celos, diligenter omnibus predicetur.

Conc. Carth. in professione fidei. Anno ab Alexandro MXXXVI, mense Iunio, XIV. Kalendas Iulii, a magna synodo dictum est. Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem. Et in unum Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, natum de patre unigenitum, hoc est, de substantia patris. Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero. Natum, non creatum; *homousion* patri, hoc est, eiusdem cum patre substantiae. Per quem omnia facta sunt, quae in coelo et quae in terris. Qui propter nos et propter nostram salutem descendit, et, incarnatus est, homo factus, passus est, et resurrexit tertia die, et ascendit in coelos. Inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt: *Erat aliquando quando non erat, et antequam nasceretur non erat, et quia ex nullis extantibus factus est*, aut ex alia subsistentia vel substantia dicunt esse, aut convertibilem filium Dei, anathematizat catholica et apostolica Ecclesia.

OMNIBUS.

XXXIII. Item in eodem, de prohibenda avaritia, ut nullus alienos fines usurpet, vel terminos patrum transcendat.

Conc. Carth. can. 5. Aurelius Episcopus dixit: Avaritiae cup tas, quam omnium malorum matrem esse nemo qui dubitet, proi inhibenda est, ne quis alienos fines usurpet, aut per praemium t minos patrum statutos transcendat; nec omnino cuiquam Cleri rum liceat de qualibet re foenus accipere. Quamquam novellae s gestiones, quae vel obscurae sunt, vel sub genere latent, ins ctae a nobis formam accipient; caeterum, de quibus apertissi scriptura divina sanxit, non ferenda sententia est, sed potius e quenda. Proinde quod in laicis reprehenditur, id multo magis del in Clericis praedamnari.

OMNIBUS.

XXXIV. Item in eodem, de his qui in periculo constitu sunt, et convertunt se ad Deum, ut canonice inquirant recon ciliationem, et canonice reconcilientur.

Conc. Carth. can. 7. Aurelius Episcopus dixit: Si quisquam i periculo fuerit constitutus, et se reconciliari divinis altaribus peti rit, etsi Episcopus absens fuerit, debet utique Presbyter consule Episcopum, et sic periclitantem eius praecepto reconciliare. Qua rem debemus salubri consilio roborare. Ab universis Episcopis di ctum est. Placet quod sanctitas vestra necessario nos instruere di gnata est.

OMNIBUS.

XXXV. Item in eodem, ut illi qui non sunt bonae conversationis, et eorum vita est accusabilis, ut non audeant episcopos vel maiores natu accusare.

Conc. Carth. can. 8. Aurelius Episcopus dixit: Placet igitur caritati vestrae ut is qui aliquibus sceleribus inretitus est, vocem adversus maiorem natu non habeat accusandi? Ab universis Episcopis dictum est: Si criminosus est, non admittatur. Placet.

OMNIBUS.

XXXVI. Item in eodem, ut qui excommunicato praesumptiose communicaverit, excommunicetur et ipse.

Conc. Carth. can. 9. Augustinus Episcopus, Legatus provinciae Numidiae, dixit: Hoc statuere dignemini, ut si qui forte merito facinorum suorum ab Ecclesia pulsi sunt, et sive ab aliquo Episcopo vel Presbytero fuerint in communionem suscepti, etiam ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxius, refugiens sui Episcopi regulare iudicium. Ab universis Episcopis dictum est: Omnibus placet.

SACERDOTIBUS.

XXXVII. Item in eodem concilio infra duo capitula, ut nullus presbiter contra suum episcopum superbire audeat.

Conc. Carth. can. 10. 11. Alypius Episcopus, Legatus provinciae Numidiae dixit: Nec illud praetermittendum est, ut si quis forte Presbyter ab Episcopo suo correptus, tumore vel superbia inflatus, putaverit separatim sacrificia Deo offerenda, vel aliud erigendum altare contra ecclesiasticam fidem vel disciplinam crediderit, non exeat impunitus. Valentinus primae sedis provinciae Numidiae, dixit: Necessario disciplinae ecclesiasticae et fidei congrua sunt quae frater noster Alypius prosecutus est. Proinde quid videatur vestrae dilectioni, edicite. Ab universis Episcopis dictum est: Si quis Presbyter a praeposito suo correptus fuerit, debet utique apud vicinos Episcopos conqueri, ut ab ipsis eius causa possit audiri, ac per ipsos suo Episcopo reconciliari. Quod nisi fecerit, sed superbia, quod absit, inflatus, secernendum se ab Episcopi sui communione duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Deo obtulerit, anathema habeatur, et locum amittat; ac si querimoniam iustam adversus Episcopum non habuerit, inquirendum erit.

Can. apost. 32. Si quis Presbyter, contemnens Episcopum suum, seorsum collegerit, et altare aliud erexerit, nihil habens quo reprehendat Episcopum in causa pietatis et iustitiae, deponatur, quasi principatus amator existens; est enim tyrannus. Et caeteri Clerici, quicunque tali consentiunt, deponantur. Laici vero segregentur. Haec autem post unam et secundam et tertiam Episcopi obsecrationem fieri conveniat.

OMNIBUS.

XXXVIII. Item in eodem, ut clerici et ecclesiastici ordines, si culpam incurrerint, ut apud ecclesiasticos iudicentur, non apud saeculares.

Conc. Carth. can. 15. Item placuit, ut quisquis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, seu Clericorum, cum in Ecclesia ei fuerit crimen institutum, vel civilis causa fuerit commota, si relicto ecclesiastico iudicio publicis iudiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat. Et hoc in criminali actione. In civili vero perdat quod evicit, si locum suum obtinere maluerit. Hoc etiam placuit ut a quibuscunque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos, ubi est maior auctoritas, fuerit provocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia depravati. Sane si ex consensu partium electi fuerint iudices, etiam a pauciori numero quam constitutum est, non liceat provocare. Et ut filii Sacerdotum spectacula secularia non exhibeant, sed nec expectent, licet hoc semper Christianis omnibus interdictum sit, ut ubi blasphemiae sunt, non accedant.

OMNIBUS.

XXXIX. Item in eodem, ut qui commodaverit pecuniam,

pecuniam accipiat. Si speciem aliam, eandem speciem quam dederit accipiet.

Conc. Carth. can. 16. Item placuit ut Clericus, si commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat; si speciem, eandem speciem, quantam dederit, accipiat. Et ut ante viginti quinque annos aetatis, nec Diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur: et ut lectores populum non salutent.

OMNIBUS.

XL. In concilio Africano praecipitur ut virgines Deo sacratae a gravioribus personis diligenti custodia serventur.

Conc. Afric. can. 11. Ut virgines sacrae, cum parentibus, a quibus custodiebantur, privatae fuerint, ab Episcopo custodiantur. Ubi autem Episcopus absens est, providentiae gravioribus feminis commendentur, ut simul habitantes invicem se custodiant; ne passim vagando, Ecclesiae laedant existimationem.

EPISCOPIS.

XLI. Item in eodem, non liceat episcopo principalem cathedram suae parrochiae negligere, et ad aliquam ecclesiam in sua dioecese magis frequentare.

Conc. Afric. can. 38. Rursum placuit ut nemini sit facultas, relicta principali cathedra, ad aliquam Ecclesiam in dioecesi constitutam se conferre, vel in re propria diutius quam oportet constitutum, curam vel frequentationem propriae cathedrae negligere.

EPISCOPIS.

XLII. Item in eodem, ut falsa nomina martyrum et incertae sanctorum memoriae non venerentur.

Conc. Afric. can. 50. Item placuit ut altaria quae passim per agros et per vias tamquam memoriae Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiae Martyrum conditae probantur, ab Episcopis qui locis eisdem praesunt, si fieri potest, evertantur. Si autem hoc per tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur ne illa loca frequententent; ut qui recte sapiunt, nulla ibi superstitione devincti teneantur. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus aut aliquae reliquiae sunt, aut origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis, fidelissima origine traditur. Nam quae per somnia et per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicunque constituuntur altaria, omnimodo reprobentur.

OMNIBUS.

XLIII. Item in eodem, ut nec uxor a viro dimissa alium

accipiat virum, vivente viro suo, nec vir aliam accipiat vivente uxore priore.

Conc. Afric. can. 69. Placuit ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri coniungatur; sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur. In qua causa legem imperialem petendam promulgari.

EPISCOPIS.

XLIV. Item in eodem, ut probati a metropolitano iudices non spernantur.

Conc. Afric. can. 89. A iudicibus autem quos communis consensus elegerit, non liceat provocare. Et quisquis probatus fuerit per contumaciam nolle obtemperare iudicibus, cum hoc primae sedis Episcopo fuerit probatum, det litteras ut nullus ei communicet Episcoporum, donec obtemperet.

OMNIBUS.

XLV. Item in eodem infra duo capitula, ut viles personae non habeant potestatem accusandi. Et si in primo crimine victi sunt falsum dicere, in secundo non habeant potestatem dicendi.

Conc. Afric. can. 96. Item placuit ut omnes servi vel proprii liberti ad accusationem non admittantur, vel omnes quos ad accusanda pnblica crimina leges publicae non admittunt; omnes etiam infamiae maculis aspersi, id est, histriones, ac turpitudinibus subiectae personae, haeretici etiam, sive pagani, sive Iudaei. Sed tamen omnibus quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentiam non denegandam.

Conc. Afric. can. 97. Item placuit, quotiescunque Clericis ab accusatoribus multa crimina obiiciuntur, et unum ex ipsis, de quo prius egerit, probare non valuerit, ad caetera iam non admittatur.

OMNIBUS.

XLVI. Item in eodem ut virgines non velentur ante viginti quinque annos, nisi rationabili necessitate cogente.

Conc. Afric. can. 93. Item placuit ut quicunque Episcoporum necessitate periclitantis pudicitiae virginalis, cum vel petitor potens vel ràptor aliquis formidatur, vel si etiam aliquo mortis periculoso scrupulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velaverit virginem seu velavit intra viginti quinque annos aetatis, non ei obsit Concilium quod de isto annorum numero constitutum est.

OMNIBUS.

XLVII. In concilio Gangarensi, ut nulli liceat oblata, quae ad pauperes pertinent, rapere vel fraudare.

Conc. Gangr. can. 7. Si quis oblationes fructuum Ecclesiae debitas voluerit extra Ecclesiam accipere vel dare praeter conscientiam Episcopi, et non magis cum consilio eius cui haec credita sunt de his agendum putaverit, anathema sit.

OMNIBUS SACERDOTIBUS.

XLVIII. Item in eodem, ut aecclesiastica ieiunia sine necessitate rationabili non solvantur.

Conc. Gangr. can. 19. Si quis eorum qui in proposito sunt continentiae praeter necessitatem corporalem superbiat, et ieiunia communia, quae totius Ecclesiae traditio celebrat, putaverit dissolvenda, perfectam scientiam esse apud se iudicans, anathema sit.

SACERDOTIBUS.

XLIX. In concilio Ancironensi invectum est in eos qui cum quadrupedibus vel masculis contra naturam peccant, dura et districta poenitentia. Quapropter episcopi et presbiteri, a quibus iudicium penitentiae iniunctum est, conentur omnimodis hoc malum a consuetudine prohibere vel abscindere.

Conc. Ancyr. can. 15. In titulo Graeca verba haec sunt: *Περὶ τῶν ἀλογευσαμένων, ἢ δὲ ἀλογευομένων;* quae nos Latine possumus dicere: *De his qui irrationabiliter versati sunt, sive versantur.* Sensus autem in hac sententia triplex esse potest, qui ex subiectis coniicitur, aut de his qui cum pecoribus coitu mixti sunt, aut more pecudum incesta cum consanguineis commiserunt, aut cum masculis concubuerunt. Quotquot igitur ante vicesimum aetatis suae annum tale crimen admiserunt, quindecim annis in poenitentia exactis, orationi tantum incipiant participari; et quinquennio altero in communione simplici perdurantes, post vicesimum cum oblatione ad communionem suscipiantur. Discutiatur autem et vita eorum quae fuerit tempore poenitentiae, et ita hanc humanitatem consequantur. Quod si qui perseverantius abusi sunt hoc crimine, prolixius tempus habeant submissioni. Quotquot vero exacta viginti annorum aetate, et uxores habentes, in hoc crimen inciderunt, viginti quinque annis poenitentia acta, ad communionem orationum tantum admittantur: in qua communione orationis altero quinquennio perdurantes, plenam communionem cum oblatione recipiant. Quod si aliqui et uxores habentes, et excedentes quinquagesimum aetatis suae annum, in hoc prolapsi sunt, ad exitum vitae tantum communionem mereantur.

EPISCOPIS.

L. In concilio Neocaesariense, ut nullatenus presbiter ordinetur ante trigesimum aetatis suae annum, quia dominus Iesus non praedicavit ante trigesimum annum.

Conc. Neocaes. can. 11. Presbyter ante triginta annorum aetatem, quamvis sit dignus, non ordinetur, sed observet usque ad praefinitum tempus: Dominus enim tricesimo anno baptizatus est, et tunc praedicavit.

OMNIBUS.

LI. In decretalibus Siricii papae, ut alterius sponsam nemo accipiat.

Siric. c. 4. De coniugali violatione requisisti, si desponsatam alii puellam alter in matrimonio possit accipere. Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus; quia illa benedictio, quam nuptae Sacerdos imponit apud fideles, cuiusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.

EPISCOPIS, MONACHIS, VIRGINIBUS.

LII. Item eiusdem, ut monachi et virgines suum propositum omnimodis observent.

Siric. c. 6. Praeterea Monachorum quosdam atque Monacharum, abiecto proposito sanctitatis, in tantum protestaris demersos esse lasciviam, ut prius clanculo, velut sub monasteriorum praetextu, inlicita ac sacrilega se contagione miscuerint, postea vero in abruptum conscientiae desperatione perducti, de inlicitis complexibus libere filios procrearint: quod et publicae leges et ecclesiastica iura condemnant. Has igitur impudicas detestabilesque personas a monasteriorum coetu Ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus: quatenus retrusae in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint poenitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltem, solius misericordiae intuitu, per communionis gratiam possit indulgentia subvenire.

OMNIBUS.

LIII. In decretalibus Innocenti papae, ut pax detur ab omnibus, confectis Christi sacramentis.

II. *De provisione Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, dignitatum et aliorum beneficiorum.* Sanctissimus Dominus noster Papa Martinus V. super provisionibus Ecclesiarum, Monasteriorum, beneficiorum quorumcunque utetur reservationibus Iuris scripti, et Constitutionis Execrabilis et ad Regimen, modificatae, ut sequitur. Ad regimen Ecclesiae generalis, quanquam immeriti suprema dispositione vocati, gerimus in nostris desideriis, ut debemus, quod per nostrae diligentiae studium ad quarumlibet Ecclesiarum et Monasteriorum regimina, et alia ecclesiastica beneficia iuxta divinum beneplacitum et nostrae intentionis affectum, viri assumantur idonei, qui praesint et prosint committendis eis Ecclesiis, Monasteriis et beneficiis praelibatis. Praemissorum namque consideratione inducti, et suadentibus nobis aliis rationabilibus causis, nonnullorum praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, omnes patriarchales, archiepiscopales, episcopales Ecclesias, Monasteria, Prioratus, dignitates, personatus et officia, nec non Canonicatus et Praebendas ac Ecclesias, caeteraque beneficia ecclesiastica, cum cura vel sine cura, regularia et secularia, quaecumque ct qualiacumque fuerint, etiamsi ad illa personae consueverint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, tunc apud sedem Apostolicam quocumque modo vacantia, aut in posterum vacatura, nec non per depositionem vel privationem, seu translationem per nos seu auctoritate nostra factas, et in antea faciendas ubilibet, nec non ad quae aliqui in concordia seu discordia electi vel postulati fuerint, quorum electio cassata, seu postulatio repulsa, vel per eos facta renuntiatio et admissa auctoritate nostra extiterit, seu quorum electorum vel postulatorum, et in antea eligendorum seu postulandorum electionem cassari vel postulationem repelli, aut renuntiationem admitti per nos seu auctoritate nostra continget apud sedem praedictam, vel alibi ubicunque, et etiam per obitum Cardinalium eiusdem Ecclesiae Romanae ac officiariorum dictae sedis, quam diu ipsa officia actualiter tenebuntur, videlicet Vicecancellarii, Camerarii, septem Notariorum, Auditorum literarum contradictarum, et Apostolici Palatii causarum Auditorum, correctorum, centum et unius scriptorum literarum Apostolicarum, et XXIV poenitentiariae praefatae sedis, et XXV abbreviatorum, nec non verorum commensalium nostrorum, et aliorum XXV Capellanorum sedis eiusdem in pittacio descriptorum, ac etiam quorumcunque Legatorum seu Collectorum,

ac in terris Ecclesiae Romanae Rectorum et Thesaurariorum, deputatorum seu missorum hactenus, vel deputandorum ac mittendorum in posterum, vacantia et in antea vacatura; ubicunque dictos Legatos vel Collectores, seu Rectores, aut Thesaurarios, antequam ad Romanam Curiam redierint seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis; nec non quorumlibet, pro quibuscunque negotiis ad Romanam Curiam venientium vel etiam recedentium ab eadem, si in locis a dicta Curia ultra duas dietas legales non distantibus iam forsan obierint, vel eos in antea transire de hac luce contigerit; ac etiam simili modo quorumcunque Curialium, peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, seu alia quacunque causa ad quaevis loca secedentium, si antequam ad dictam Curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem Curia, ut praemittitur, non remotis, dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem, iam forsan decesserint, vel in posterum eos contigerit de medio submoveri, nunc per obitum huiusmodi vacantia vel in posterum vacatura; rursus Monasteria, Prioratus, Decanatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, Canonicatus, Praebendas et Ecclesias, caeteraque beneficia ecclesiastica secularia vel regularia, cum cura vel sine cura, quaecunque et qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personae consueverint seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, quae promoti per nos vel auctoritate nostra ad patriarchalium, archiepiscopalium, vel episcopalium Ecclesiarum, nec non Monasteriorum regimina obtinebant, tempore promotionum de ipsis factarum, nunc quocunque modo vacantia, seu in posterum vacatura; nec non etiam per assecutionem pacificam quorumcunque Prioratuum, personatuum, officiorum, Canonicatuum, Praebendarum, Ecclesiarum aut beneficiorum aliorum, per nos seu auctoritate literarum nostrarum immediate collatorum seu conferendorum in posterum, praeterquam si virtute gratiae expectativae assecutio fiat, nunc vacantia et in antea vacatura: plena super praemissis omnibus et singulis cum fratribus nostris collatione praehabita et matura deliberatione secuta, ordinationi, dispositioni ac provisioni nostrae usque ad quinquennium de ipsorum fratrum consilio, auctoritate Apostolica reservamus, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super praemissis, et quolibet eorum per quoscunque, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari: non obstantibus quibuscumque constitutionibus a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus editis, quatenus obsistere pos-

sent super enarratis articulis vel alicui vel aliquibus eorum dicto quinquennio durante. Nulli igitur etc.

In Ecclesiis cathedralibus et etiam Monasteriis Apostolicae sedi immediate subiectis fiant electiones canonicae, quae ad sedem Apostolicam deferantur, quas etiam ad tempus constitutum in constitutione Nicolai III., quae incipit: Cupientes, Papa expectet; quo facto, si non fuerint praesentatae, vel si praesentatae minus canonice fuerint, Papa provideat; si vero canonicae fuerint, Papa eas confirmet, nisi ex causa rationabili et evidenti, et de fratrum consilio, de digniori et utiliori persona duxerit providendum: proviso, quod confirmati et provisi per Papam nihilominus Metropolitanis, et aliis praestent debita iuramenta et alia, ad quae de iure vel consuetudine tenentur.

In Monasteriis autem, quae non sunt immediate subiecta sedi Apostolicae, nec non in aliis beneficiis regularibus, super quibus pro confirmatione seu provisione non consuevit haberi recursus ad sedem Apostolicam, non teneantur venire electi, seu illi quibus providendum est, ad Curiam ad habendam confirmationem seu provisionem, nec etiam dicta beneficia regularia cadant in gratiis expectativis: ubi autem in Monasteriis ad Curiam Romanam pro confirmatione venire seu mittere consueverunt, ibi Papa non aliter confirmet aut provideat, quam superius de Ecclesiis cathedralibus est expressum.

De Monasteriis Monialium Papa non disponet, nisi sint exempta, et tunc per commissionem in partibus. De caeteris dignitatibus et beneficiis quibuscunque secularibus et regularibus vacaturis ultra reservationes iam dictas: maioribus dignitatibus post Pontificalem in cathedralibus et principalibus in collegiatis Ecclesiis exceptis: de quibus iure ordinario provideatur per illos inferiores, ad quos alias pertinet; nec computentur in turno seu vice eorum.

Item Dominus noster Papa ordinat, quod per quamcunque aliam reservationem, gratiam exspectativam, aut quamvis aliam dispositionem sub quacunque verborum forma, per Eum aut Eius auctoritate factam vel faciendam, non velit, neque vult, neque intendebat, nec intendit facere non fieri, quo minus de media parte illarum et illorum cum vacabunt alternis vicibus libere disponatur, per illos, ad quos collatio, provisio, praesentatio, electio, aut alia quaevis dispositio pertinebit, prout ad ipsos spectabit de consuetudine vel de iure: ita quod cum de una dignitate, personatu, officio vel beneficio, ex illis ad electionem,

provisionem, collationem seu quamvis aliam dispositionem alicuius spectante, fuerit auctoritate Apostolica provisum, aut alias dispositum, ille ad cuius electionem, collationem vel quamvis dispositionem primo loco pertinebat, de alio immediate postea vacaturo provideat aut disponat, prout ad eum pertinebat. Et ita consequenter de singulis huiusmodi dignitatibus, personatibus, officiis et beneficiis vacaturis auctoritate Eiusdem Domini nostri Papae et aliorum praedictorum alternatis vicibus disponatur; reservationibus aut aliis a praemissis dispositionibus auctoritate Eiusdem Domini nostri Papae factis vel faciendis non obstantibus quibuscunque.

Quoties vero aliquo vacante beneficio cadente in vice et in gratia expectativa, non apparuerit infra tres menses a die notae vacationis, in loco beneficii, quod alicui de illo secundum praedictas ordinationes fuerit Apostolica auctoritate provisum, ordinarius vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponat, nec sibi in sua vice computetur. Beneficia, quae per simplicem renuntiationem aut permutationem vacaverint, neutri parti computentur.

Sanctissimus Dominus noster PP. Martinus V. ad exaltationem fidei catholicae et spiritualem profectum populi Christiani, de consensu et beneplacito nationis Germanicae, statuit, ordinat et decernit, quod deinceps in metropolitanis et cathedralibus Ecclesiis nationis Germanicae eiusdem, sexta pars Canonicatuum et Praebendarum sit pro Doctoribus aut Licentiatis in sacra Pagina vel altero iurium, vel in Theologia Baccalauriis formatis aut Magistris in Medicina, qui per biennium, seu Magistris in Artibus, qui per quinquennium post Magisterium in Theologia aut altero Iurium studuerint in studio generali; sic videlicet, quod ubicunque non fuerit saltem sexta pars Canonicorum praebendatorum in metropolitana aut cathedrali Ecclesia taliter graduatorum, ibi quicunque deinceps vacaverit Canonicatus et Praebenda, quacunque etiam Apostolica vel alia auctoritate, non nisi taliter graduatis conferatur, quousque dicta sexta pars compleatur taliter graduatis. Si tamen infra mensem a tempore vacationis repertus fuerit taliter graduatus, et alias idoneus, qui per se vel procuratorem voluerit acceptare. Quod postmodum continuetur, ut ad minimum dictus numerus sextae partis Canonicorum taliter ut praemittitur graduatorum in ipsis metropolitanis et cathedralibus Ecclesiis habeatur.

Ubi autem soli consueverunt Illustres aut de Comitum vel

Baronum genere, vel ex utroque genere militares in Canonicos admitti, taliter graduati, qui acceptare voluerint, si taliter nobiles, ut praemittitur, fuerint in Ecclesiis, caeteris etiam nobilibus saltem usque ad dictum numerum praeferantur.

Item quod in aliis collegiatis Ecclesiis eiusdem nationis similiter sexta pars Canonicatuum et Praebendarum deinceps modo praemisso conferatur, sicut praemittitur, graduatis, aut saltem in Medicina aut in Artibus Magistris vel Licentiatis, aut in Theologia vel altero Iurium Baccaluriis examinatis per rigorem, cum limitatione, modo et ordine supradicto.

Item quod parochiales Ecclesiae habentes communi aestimatione, quae secundum famam publicam attendatur, duo millia communicantium vel plures, deinceps non conferantur etiam Apostolica vel quacunque alia auctoritate, nisi Doctoribus aut Licentiatis in sacra Pagina, vel Iure Canonico, vel Civili, vel Baccalauriis in Theologia formatis; si tamen infra mensem a tempore vacationis Ecclesiae numerandum, reperiatur taliter graduatus, qui per se vel procuratorem voluerit acceptare; decernendo irritum et inane, si secus in praemissis, tam circa Canonicatus et Praebendas quam parochiales Ecclesias, vel eorum aliquid a quoquam quavis etiam Apostolica auctoritate fuerit attemptatum. Salvis semper laudabilibus consuetudinibus et statutis Ecclesiarum, quae praemissis non adversantur; in contrarium autem facientibus non obstantibus quibuscunque.

Item quatenus praedicta ordinatio pluribus prosit, et humanae ambitioni frenum imponatur, ordinat, statuit et decernit Idem Dominus noster PP., quod vigore praesentis constitutionis seu ordinationis nemo graduatorum possit ultra unum beneficium ecclesiasticum adipisci.

Item vult quod in pari data ad eandem collationem graduatus non graduato praeferatur praerogativis et diligentiis non obstantibus quibuscunque.

Item quod Vicariae ad certa chori officia in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis deputatae non conferantur etiam Apostolica auctoritate, nisi talibus, qui huiusmodi beneficia cantando et legendo et alias sciverint et poterint personaliter adimplere.

III. *De Annatis.* De Ecclesiis et Monasteriis Virorum duntaxat vacantibus et vacaturis, solventur pro fructibus primi annis a die vacationis summae pecuniarum in libris Camerae Apostolicae taxatae, quae communia servitia nuncupantur. Si

quae vero excessive taxatae sunt, iuste retaxentur, et provideatur specialiter in gravatis regionibus secundum qualitatem rerum, temporum et regionum, ne nimium praegraventur, ad quod dabuntur commissarii, qui diligenter inquirant et retaxent. Taxae autem praedictae pro media parte infra annum, a die habitae possessionis pacificae totius vel maioris partis solventur, et pro media parte alia infra sequentem annum. Et si infra annum bis vel pluries vacaverint, semel tantum solvatur, nec debitum huiusmodi in successorem in Ecclesia vel Monasterio transeat. De caeteris autem dignitatibus, personatibus, officiis et beneficiis secularibus quibuscunque et regularibus, quae auctoritate sedis Apostolicae conferentur, vel providebitur in eisdem, (praeterquam vigore gratiarum expectativarum aut causa permutationis) solvantur annata seu medii fructus iuxta taxam solitam tempore unionis (possessionis) infra annum; et debitum huiusmodi in successorem in beneficio non transeat.

De beneficiis, quae valorem viginti quatuor florenorum de Camera non excedunt, nihil solvatur; debitis omnibus praeteriti temporis usque ad assumtionem Domini nostri communium servitiorum et annatarum pro medietate relaxatis, solventibus aliam medietatem infra sex menses a die publicationis.

IV. *De causis tractandis in Romana Curia vel non.* Sanctissimus Dominus noster PP. Martinus V. statuit et ordinat, quod nullae causae in Romana Curia committantur, nisi quae de iure et natura causae in Romana Curia tractari debebunt, et quod causae, quae ad forum ecclesiasticum de iure vel consuetudine non pertinent, per Curiam Romanam etiam praetextu crucesignationis Laicorum extra tempus passagii generalis non recipiant, de illis cognoscendo in Curia vel extra committendo, nisi de consensu partium. Quae vero ad forum ecclesiasticum pertinent, et de iure sunt per appellationem aut alias ad Romanam Curiam devolutae, ac de sui natura in eadem tractandae, tractentur in ea; caeterae committantur in partibus, nisi forsan pro causae et personarum qualitate in commissione exprimenda illas tractari in Curia expediet, pro iustitia consequenda, vel de partium consensu in Curia tractentur.

V. *De Commendis.* Ordinat Dominus noster Papa, quod in posterum Monasteria aut magni Prioratus conventuales (habentes) hiis temporibus ultra decem religiosos, et officia claustralia, dignitates maiores post Pontificalem in Cathedralibus, sicut

et Ecclesiae parochiales nulli Praelato, etiam Cardinali dentur in Commendam; datae autem et dati quam primum commendatariis loco illarum de aequivalenti providebitur; post pacificam possessionem adeptam illas dimittant. Una etiam Ecclesia metropolitana uni Cardinali vel Patriarchae concedi poterit provisionem sufficientem non habenti.

VI. *De Simonia in foro conscientiae providetur ut sequitur.* Ut autem, considerata malitia aliquorum temporum proxime praeteritorum, quibus labes symoniaca tam in ordinibus quam in beneficiis ecclesiasticis tunc conferendis et percipiendis ac religionibus ingrediendis fuit heu nimium frequentata, laesis in hoc conscientiis ad pernitiosiorem administrationem et perceptionem sacrorum ecclesiasticorum, salubriter consulatur, omnibus et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Abbatissis, caeterisque Praelatis, nec non Clericis ac personis ecclesiasticis, religiosis et secularium utriusque sexus: ut quaelibet eorum infra tres menses post publicationem, aut insinuationem praesentium sibi, aut in dioecesi, ubi domicilium habuerit, factam, aliquem in sacra Pagina, vel in Iure Canonico Doctorem vel Licentiatum vel Baccalaurium formatum, ubi talis potest commode reperiri, vel ubi talis non reperiretur, lectorem aut alias intelligentem sacerdotem discretum, ac bonae famae, curatum vel non curatum eligere valeat confessorem, qui infra praedictum tempus, quantocius commode fieri poterit, eius confessione audita ipsam personam confitentem a suis peccatis et a quibuscunque excommunicationum suspensionum et interdicti aliisque sententiis, censuris atque poenis, quas forsan propter symoniacam in ordine vel beneficio ecclesiastico, religionis ingressu, aut alias qualitercunque active vel passive, commissam usque ad tempus publicationis praedictae dignoscitur incurrisse, in foro conscientiae duntaxat absolvere; nec non secum super irregularitate pro eo quod huiusmodi sententiis aut earum aliqua ligata forsan missas vel alia divina officia celebrasse, aut se illis immiscuisse censebitur, usque ad tempus praedictum contracta, ipsaque propter praemissa aut eorum aliquod a sui ordinis vel officii executione suspensa, quod in illis nihilominus ministrare illa exercere et adepta beneficia, vel statum in quo est retinere, et ad ulteriora promoveri possit, in dicto foro valeat dispensare; ac eidem beneficia, quae obtinet, ob hoc forsitan vacantia vel vacatura, si et postquam dimiserit, reconferre,

omnemque inhabilitatis, irregularitatis nec non infamiae maculam symoniacam, atque aliam labem per eum occasione praedicta usque ad tempus praedictum contractam in eodem foro totaliter abolere: fructus quoque beneficiorum ecclesiasticorum, quos forsan indebite percepit et quos percipere potuisset, aut quidquid occasione praedicta fuerit refundendum (dummodo persona ipsa ad refusionem faciendam, deducto ne egeat in statu in quo tunc fuerit, aut alias absque nota vel scandalo sufficiens non fuerit) in dicto foro remittere, ac eam de his quitare et liberare tenore praesentium (literarum) indulgemus; constitutionibus Apostolicis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

VII. *De non vitandis excommunicatis antequam per iudicem fuerint declarati et denunciati.* Insuper ad vitandum scandala et multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, omnibus Christi fidelibus tenore praesentium (literarum) indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicuius in sacrorum administratione vel receptione aut aliis quibuscunque divinis, vel extra, praetextu cuiuscunque sententiae aut censurae ecclesiasticae a iure vel homine generaliter promulgatae teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia vel censura huiusmodi fuerit in vel contra personam, collegium, universitatem, Ecclesiam, communitatem aut locum certam vel certum a iudice publicata vel denunciata specialiter et expresse; constitutionibus Apostolicis et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Salvo si quem pro sacrilega manuum iniectione in Clericum, sententiam latam a Canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo iuris suffragio excusari. Nam a communione illius licet denunciatus non fuerit volumus abstineri, iuxta canonicas sanctiones.

VIII. *De Dispensationibus.* Ordinat etiam Dominus noster ad Ecclesias cathedrales, Monasteria, Prioratus conventuales, aut parochiales Ecclesias, super defectu aetatis ultra triennium nullatenus dispensare; nisi forte in Ecclesiis cathedralibus ex ardua et evidenti causa, de consilio Cardinalium seu maioris partis illorum videretur aliter dispensandum. Item Dominus noster in arduis et gravibus casibus sine consilio Cardinalium non intendit dispensare.

IX. *De Provisione Papae et Cardinalium.* Romano Pontifici et sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus pro illorum sustentatione, rebus Romanae Ecclesiae stantibus, ut sunt, non videtur aliter posse provideri, quam huc usque factum est, scilicet per beneficia et communia servitia, quae vacantiae nuncupantur; verum circa beneficiorum qualitatem taliter duximus providendum, quod nulli Cardinali Monasterium (vel) Prioratus conventualis, ultra numerum decem Religiosorum secundum moderna tempora habere consuetus, nulla maior dignitas post pontificalem in cathedralibus aut parochialibus Ecclesiis, nullum officium claustrale, nullum xenodochium, hospitale, elemosinaria aut leprosaria in titulum vel administrationem conferantur; et si quae talia nunc obtinent, quam primum Papa loco illorum de alio aequivalenti providebit, illa dimittere teneantur, sicut superius de Commendis est dictum.

X. *De Indulgentiis.* Cavebit Dominus noster Papa in futurum nimiarum indulgentiarum effusionem, ne vilescant, et in praeteritum concessas, ab obitu Gregorii XI. ad instar alterius indulgentiae revocat et annullat.

XI. *De horum concordatorum Papae Martini V. et nationis Germanicae valore.* Item sanctissimus Dominus noster et inclita natio Germanorum consenserunt et protestati sunt, quod omnia et singula (supra) scripta durare et tolerari debeant, usque ad quinquennium duntaxat, a dato praesentium numerandum; Constitutionibus Apostolicis, Regulis Cancellariae factis et fiendis, et aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque; quodque per observantiam eorum nullum ius novum Rom. Pontifici, aut alicui Ecclesiae vel personae acquiratur, seu praeiudicium generetur. Sed lapso dicto quinquennio, quaelibet Ecclesia et persona praedicta liberam facultatem habeat utendi quolibet iure suo. Non obstantibus supra dictis. Et quod capitula praedicta et quodlibet eorum dentur cuilibet ea habere volenti, communiter seu divisim in authentica forma, sub sigillo Vicecancellarii cum subscriptione Notarii, sic quod fidem faciant exhibita ubicunque; pro toto autem non solvantur ultra duodecim grossi Turonenses.

XIV. Literae Foederis Principum Imperii de concordia Romae cum Pontifice ineiunda, si bullas, quas desiderabant Germani, indulserit. A. MCCCXLVI. die V. Oct. *).

Wir diese hieunten geschrieben bekennen offentlich mit diesem brief fur allermänniglich, Nachdem uns unser heiliger Vatter Pabs Eugenius uf ein gewerb, durch unsern gnaedigen Herrn den Roemischen Koenige und die Churfürsten an sein Heiligkeit kommen, hie uf dem tag darumb zu Franckfurth gehalten, geantwort hat; Zum ersten, das unser heiliger Vatter der Pabst geruhe in einer bequemen Zeit ein gemein Concilium zu berufen, an der fünf Städt eine, die ihme benannt seyn, daruf sein Heiligkeit durch seine Sendbotten, Herrn Johann Carvaial und Meister Niclas Cuss, in Krafft einer Credentien, hat lassen antworten, dass sein Heiligkeit ein gemein Concilium, das die heilige gemeine Christenliche Kirch bedeutend ist, gern berufen wolle, und dieweil genehmigkeit anderer gezunge und Christenlicher Koenige nach gelegenheit diesser zeit darzu nothdürftig ist, darumb nun sein Heiligkeit sich erbietet zu eynen, mit dem Roemischen Koenig und den Churfürsten zu senden, damit solche genehmigkeit erlanget werden moege, und zu allen anderen weegen, die den Roemischen Koenig und die Chuhrfürsten, solche genehmigkeit zu erlangen, nothdürftig bedunket. Zu dem andernmahl, dass sein Heiligkeit verjähe und bekenne den Gewaltsam, Ehre und Oberkeit, die die heiligen Concilia haben sollen, als in dem gesätz frequens und anderen gesätzen in dem Concilio zu Constanz geordnet, und zu Basel erneuet, begriffen ist, daruf sein Heiligkeit hat lassen antworten, Er verjähe und erkenne den Gewaltsam, Ehre und Oberkeit, die die heiligen gemeinen Concilia, die heilige gemein Christenliche Kirch bedeutend, als solches das gesätz frequens, und andere gesätze, in dem Concilio zu Costantz gemacht, und zu Basel, da es noch ein gemein Concilium durch die Welt gehalten worden ist, erneuet seyn, innhalten; Zum drittenmahl, dass sein Heiligkeit

*) Ex editione, quam Koch Sanctio pragmatica p. 176. ex autographo tabularii Moguntini vulgavit. Caeterum de hoc et quinque sequentibus documentis vide Lehrbuch des Kirchenrechts §. 111.

die alte beschwerung abstellen, und Germanischen getzunge nach der Form der ufgenommen decret, nach nothdurft, unterscheid und gelegenheit deutschen getzunges, versehen wolle, daruf nun sein Heiligkeit hat lassen antworten, dass er keine beschwerung in Germanische nation eingeführt habe, sondern dass sein Heiligkeit solcher gerechtigkeit, die mann dem Roemischen Stuhl pflichtig ist, in den groesten noethen der Kirchen emporen haben, und dass sich vormahls sein Heiligkeit durch seine Legaten erbotten habe, über die alte beschwerungen ein Versehung zu thuen, und sich nun darzu aber willig erbietet, und meldet, dass er nach nothdurft, unterschied und gelegenheit der nation gern versehen und versorgen wolle, denen, die solches begehren, auch nach meinung der ufgenommenen decret und an den enden, da sie ufgenommen seyn, in getrauen, dass dass der allerdurchlauchtigst Fürst der Roemische Koenig und die Churfürsten, und die würdige Nation, dem heiligen Stuhl zu Rom, ahn der Stadt, ein Wiederstattung thue, wie dan solch gewerb an den Pabst und des Pabstes antwort mit mehr worten inhaltet; und auch nachdem und wir verstanden haben, dass seine Heiligkeit die zwey Herren von Tryer und Coelln wieder innsetzen und restituiren wolle, also fern sie in seinen gehorsamb treten wolten, und dieweil die Paebstliche Sendbotten solches uf diessem tag mit nothdürftigen Bullen nit vollziehen konten, darumb, dass die Minuten der Bullen, die darüber begriffen waren, als dan offentlich erzehlt ist, zu Rom dem Pabst nit übergeben seyn, und Uns solche antworten, so fern der nach moeglichkeit und billigkeit nachgegangen wird, ein redlich gnüglich antwort bedunckt, dass wir überkommen und einig worden seyn, uf solche redliche weeg bey einander zu sein und zu bleiben, und umb desswillen ein treffliche Bottschaft zu Pabst Eugenio fürderlich zu schicken, also aussgericht, dass die botten darüber und daran seyen, damit unser heiliger Vatter der Pabst solcher zusag nachkommen, und dessen nothdürftige versorgnus nach moeglichkeit und billigkeit thuen, und dessen seine bullen übergeben solle, in massen dessen denen botten ein versiegelter Zettel, darinn unsere meynung stuckweis verzeichnet stehet, übergeben ist, und dass auch die botten mit ihnen nehmen und haben sollen ein declaration, der wir hie einig worden seyn, und wan unsser heiliger Vater der Pabst solche Versorgnus und Bullen übergeben will, als vorgemelt ist, sollen die Sendbotten die declaration auch ubergeben, und

seiner Heiligkeit antworten, also dass eins mit dem anderen zugehe ohngefehrlich, und ist sonderlich beredt, dass darumb ein tag gehalten werden soll, uf den Sonntag Laetare in der Fasten nächstkünftig zu Nürnberg, dahin unser Herr der Roemische Koenig und wir andere, Ertzbischoff und Bischoff, Fürsten geistlich und weltlich, in dieser eynung begriffen, kommen, oder aber ohne fehrner besenden und ausschreiben unser Vollmächtig bottschaft schicken sollen, alsdan der Sendbotten, die zu dem Papst gefertiget seyn, gewerb und handlung, und was sie als vorgemelt ist, aussgericht haben, verhoeren sollen; und fügte sichs, dass der Papst solches nit thuen wolte, als vorgemelt ist, oder dass er binnen der zeit, als mann die sach bey ihme arbeiten soll, von Todts wegen abginge, also, dass sie kein end oder fürgang gewinnen moegte, so solten die Sendbotten die erklaerung, undt andere ihre instruction wieder heim zu Land bringen, und die uf dem egemelten Tag zu Nürnberg unsern Herrn oder denen Unsern ubergeben und antworten, und alsdan sollen und wollen wir fürter zu rath werden, handlen und beschliesen, was nach gelegenheit der Sach zum besten fürzunehmen seye, und was daselbst durch unsern Herrn den Roemischen Koenig und Uns andern, oder seiner Gnaden und unser Machtbotten ungefehrlich fürgenommen und beschlossen wird, das das sicherst und gütlichst seyn moege, dem wollen wir nachkommen unterscheidlich, ohne arg und ohne alles gefehrde. Und' von Gottes gnaden Wir Dieterich des heiligen Stuhls zu Mayntz Ertzbischoff, des heiligen Roemischen Reichs in Teutschen Landen Ertz-Cantzler, Peter zu Augsburg und Silvester zu Chymsee Bischoff, Jacob zu Baden und Albrecht zu Brandenburg Marggrafen, Caspar Herr zu Weisskirchen Cantzler etc. Eneas Silvius Thombherr zu Triendt, und Meister Hartung von Cappel Lehrer beyder Rechten, unsers allergnaedigsten Herrn, Herrn Friederichs Roemischen Koenigs etc. Machtbotten, Petrus Knorr Probst zu Wetzlar und Meister Friederich Sesselmann des hochgebohren Fürsten, unsers gnaedigen Herrn, Herrn Friederich Marggrafen zu Brandenburg des heiligen Reichs Ertz-Cammerer Sendbotten, Meister Friedrich Greve Cantzler, und Meister Hans Hesse des hochwürdigen unsers gnaedigen Herrn, Herrn Friederichs Ertzbischof zu Saltzburg, Meister Andreas Parrherr zu Dantzig und Ludwig von Erlichhausen Vogt zur Leipp, des ehrwürdigen Herrn des Hohenmeisters Teutschen Ordens, Meister Heinrich Leubing Parrherr

zu Nürnberg und Meister Johann Thauwer Doctores, unsers gnaedigen Herrn von Bamberg, Meister Conrad Bladeck, meins gnaedigen Herrn von Passaw, Meister Nicolaus Gundelfinger Vicarius meins gnaedigen Herrn von Costanz, für beede Stift Costanz und Chur, unserer gnaedigen Herren obgemelt zu solchen vorgemelten Sachen Machtbotten haben uns dieser obgeschriebener meynung gantz vereinet, und sind daruf unverscheidlich blieben, dem nachzugehen, und wir Churfürsten und Fürsten von unsers egemelten Herrn des Koenigs und unsers selbst, und wir Sendbotten von unserer obgemelten Herren wegen wollen und sollen alle obgeschriebene sach gaentzlich vollführen getreulich, alle gefehrde darinn gaentzlich ausgescheiden. Und des zu Urkund haben wir obgemelte Fürsten und Sendbotten unser Ingesiegel und Secrete an diesse Schrift wissentlich gedruckt zu Urkund aller obgeschriebenen sach. Geschechen zu Franckfurth am Mitwochen nach Sanct Francisci tag in dem jahr unseres Herrn Tausend Vierhundert sechs und viertzig.

XV. Eugenii IV. literae de novo concilio ad instantiam Germanorum convocando. a. MCCCCXLVII. die V. Februarii*).

Charissimo in Christo filio, Frederico Romanorum Regi illustri, ac venerabili fratri Theodorico Archiepiscopo Moguntino, et dilecto filio nobili viro Frederico Marchioni Brandeburgensi sacri imperii electoribus salutem etc. Ad ea ex debito pastoralis officii libenter impendimus curas nostras, per quae reformatio universalis ecclesiae, pax et concordia inter Christi fideles oriantur, et schismata atque haereses de agro Domini funditus extirpentur. Cum itaque vos hactenus multiplicatis vicibus apud nos per vestros oratores institeritis, ut novum quoddam generale concilium in Alamaniae partibus in uno de quinque locis, videlicet Constantia, Argentina, Maguntia, Wormatia, Treveri, propter Ecclesiae necessitates convocaremus, nos vestrae petitioni proter multiplices rationabiles causas, et quia Regum vel Principum aliorum diversa sententia fuit, rationabiliter annuere non potuimus. Nunc vero, quia persuasum nobis est, hac via maxime provideri posse Ecclesiae casibus emergentibus, et Reges et Principes praefatos facile ad hoc consensum

*) Ex Raynaldi annal. ecclesiast. Tom. XVIII. p. 329.

praebituros, si per vos fuerint oportuna cum instantia requisiti: nos, etsi absque convocatione novi concilii alia via rebus Ecclesiae melius consuli posse arbitremur, cupientes tamen vobis et nationi vestrae, quam singulari semper affectione apostolica sedes prosecuta est, quantum cum Deo possumus, complacere, contentamur apud Reges et Principes Christianos curam et diligentiam adhibere fideliter, ut ad votum vestrum trahi valeant et conduci, ita quod in uno ex quinque locis consentiant generale concilium convocari, quod infra decem a die dato praesentium computandos, intendimns experiri, et si consensus huiusmodi haberi poterit, in fine dictorum decem mensium generale concilium, ad decimum octavum immediate sequentes initiandum in uno ex praenominatis locis, in nomine Domini convocabimus. In eventum vero, quod ad aliquem ex dictis locis nationis Germanicae caeteri Reges et Principes deflecti non possent, convocabimus nihilominus infra praefatos decem menses generale concilium in alio loco, rebus gerendis accommodo, infra decem et octo menses, ut praefertur, consequentes initiandum, tam ut vobis rem gratam faciamus, quam ut Ecclesiae necessitatibus succurratur. Concilium autem generale Constantiense, decretum: *Frequens*, ac alia eius decreta, sicut caetera alia concilia, catholicam militantem Ecclesiam repraesentantia, ipsorum potestatem, auctoritatem, honorem et eminentiam, sicuti et caeteri antecessores nostri, a quorum vestigiis deviare nequaquam intendimus, suscipimus, amplectimur et veneramur. Dat. Romae apud S. Petrum, anno incarnationis dominicae MCCCCXLVI. non. Februarii, Pontificatus nostri anno XVI.

XVI. Eugenii IV. bulla qua Germanis indulget, ut decretis concilii Basiliensis, sub Alberto II. acceptatis, porro utantur, donec vel auctoritate concilii vel transactione aliter fuerit ordinatum. A. MCCCCXLVII. die V. Febr. *).

Eugenius episcopus Servus Servorum dei. Ad futuram rei memoriam. Ad tranquillitatem et commoda omnium Christi fidelium, et presertim nationis germanice, quam apostolica sedes singulari affectione prosequitur, diligenti studio intendentes, ea li-

*) Edidit Koch Sanctio pragmatica p. 183. ex autographo tabularii archiepiscopalis Salisburgensis.

benter concedimus, per que ipsius nationis personarum quieti et commoditatibus consulatur. Sane ad instantiam Carissimi in Christo filii nostri Frederici Romanorum Regis illustris, et venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Maguntinensis, ac dilecti filii Nobilis viri Frederici Marchionis Brandenburgensis, per alias nostras litteras, nonnulla circa Concilium Constantiense eiusque decreta, nec non futuri convocationem Concili mentem nostram concernentia declaravimus, prout in ipsis litteris continentur. Super aliis autem decretis Basilee editis, et per clare memorie quondam Albertum Romanorum Regem acceptatis, ex quorum observantia natio ipsa alamanica ex pluribus gravaminibus dicitur relevari, contenti sumus, volumus et decernimus, quod omnia et singula, vigore decretorum huiusmodi, cum suis modificationibus acceptatorum, per eos, qui illa acceptaverunt, vel acceptantibus in natione prefata adheserunt, usque in presentem diem quomodolibet gesta vel acta sunt, cum omnibus inde secutis, rata, firma et inviolabilia persistant, nec imposterum a quoquam quavis auctoritate cassari, vel annulari aut in irritum quovis modo valeant revocari. Quodque omnes et singuli, qui usi sunt illis, aut in vim dictorum decretorum, a die acceptationis eorundem, quicquam consecuti sunt, securi sint et quieti, nec propterea impeti, turbari aut molestari possint quomodolibet in futurum. Super observatione vero et modificatione derectorum eorundem, cum nonnulli prelati nationis prefate, ex eisdem decretis gravatos se fore, nobis conquesti sint, cumque in illis apostolice sedi, que multum in suis iuribus ex ipsis decretis gravata dinoscitur, recompensatio promissa sit, decrevimus Legatum nostrum, cum sufficienti potestate, ad partes Germanie transmittere, qui mediantibus Rege, Archiepiscopo et Marchione prefatis, ac aliis eiusdem nationis principibus et prelatis, cum quibus fuerit opus, super observantia et modificatione decretorum huiusmodi, nec non super provisione apostolice sedi, faciendis, tractare valeat, et finaliter concordare. Permittentes interim et indulgentes, quod omnes et singuli, qui prefata decreta receperunt, vel recipientibus, ut premissum est, adheserunt, in prefata natione, decretis huiusmodi similiter cum suis modificationibus, quibus recepta sunt, libere et licite uti possint; quod etiam circa singula premissa manuteneri ac defensari volumus, donec per Legatum, ut predictum est, concordatum fuerit, vel per Concilium, quod ad predictorum Regis, prelatorum et principum exhortationem convocare proponimus, aliter fuerit ordi-

natum, non contraventuri nec contravenientibus consensuri quovis modo. Speramus autem et a certo tenemus, dictos Regem, Archiepiscopum, Marchionem, et alios prelatos et principes, tanquam devotos sedis apostolice, non passuros medio tempore Romanam ecclesiam remanere in suis iuribus spoliatam. Hanc autem concessionem ad eos, qui declarationi vel obedientie, per suos prelatos sive superiores nobis facte aut infra sex menses faciende, se opponerent, aut illam acceptare recusarent, nullatenus extendi volumus, vel eis opitulari. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis, permissionis, concessionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctum petrum, Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, Nonis Februarii, pontificatus nostri anno sexto decimo.

XVII. Eugenii IV. bulla de restitutione Iacobi Trevirensis et Theodorici Coloniensis Archiepiscopi. A. MCCCCXLVII. die V. Febr. *).

Eugenius episcopus Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Ad ea, quae ad reductionem subditorum omnium, pacem et tranquillitatem fidelium spectant, dirigentes aciem mentis nostrae illa libenter agimus, ut Sedis Apostolicae benignitas latius diffundatur. Sane carissimus in Christo filius, Fredericus Rex Romanorum illustris, ac venerabilis frater noster, archiepiscopus Maguntinus, et dilectus filius nobilis vir Fredericus Marchio Brandenburgensis, sacri imperii electores, aliique nonnulli praelati et principes nationis Germanice pro bono pacis et concordiae, et ad tollenda scandala nationis praefatae nobis humiliter supplicarunt, prout in capitulo, praesentibus de verbo ad verbum inserto, continetur, sequitur et est talis: „Item omnia et singula „per ipsum dominum Eugenium Papam durante animorum sus„pensione praedicta contra et adversus reverendissimos in Chri-

*) Ex Raynaldi annal. eccles. Tom. XVIII. p. 330.

„sto patres dominos Iacobum Treverensem et Theodoricum Co-„loniensem archiepiscopos sacri Romani imperii principes ele-„ctores, eorumque ecclesias, iura et dominia, ex causa neutrali-„tatis, vel alia quacunque causa innovata, volentibus ipsis in de-„claratione, pro ipso domino Eugenio facienda, cum regia maie-„state et aliis principibus electoribus concurrere, revocabit, „cassabit et annullabit, ac eos per suas litteras cum ecclesiis, „dominiis ac iuribus huiusmodi in pristinum statum reponet in „forma necessaria et opportuna." Nos igitur sperantes, quod hoc cedet ad statum Ecclesiae, pacem et tranquillitatem nationis praedictae, in praefatorum, regis, archiepiscopi, marchionis, aliorumque praelatorum et principum hoc petentium complacentiam, tenore praesentium promittimus bona fide, quod quando ipsi olim Treverensis et Coloniensis archiepiscopi ad gremium nostrum et Ecclesiae venientes cum regia serenitate et aliis electoribus praedictis in declaratione, pro nobis facienda, ut praefertur, concurrerint, nobisque plenam et debitam obedientiam praebuerint, ac pro vero Iesu Christi vicario recognoverint, ipsos ad praedictas ecclesias, absque ulla exceptione aut oppositione restituemus, ac in pristinum statum reponemus, iuxta tenorem capituli superius descripti. Nulli ergo etc. Dat. Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae MCCCCXLVI. Non. Februarii, Pontificatus nostri anno XVI.

XVIII. Eugenii IV. bulla super diversis indultis, dispensationibus, concessionibus in gratiam Germanorum factis. A. MCCCCXLVII. die VII. Febr. *).

Eugenius episcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Inter cetera desideria cordis nostri filios quoslibet ad nostram et apostolice sedis obedientiam exoptantes aduci illa temporum qualitate pensata aliquando concedimus ordinamus et statuimus per que Christi fidelium tranquillitati et comodis remotis dissensionibus et scandalis consolatur [1]) et exinde animarum salutem valeant adispici, Sane cum propter dissensionem inter nos et eos qui Basilee sub nomine generalis Concilii remanserant dudum exortam, nonnulli Principes tam ecclesiastici

---

*) Edidit Koch Sanctio pragmatica p. 188. ex autographo tabularii Salisburgensis.

1) Ita in autographo; lege *consulatur*.

quam seculares nationis Germanice in quadam neutralitate et animorum suspensione a die decima septima Mensis Martii de Anno domini Millesimo quadringentesimo tricesimo octavo usque in presentem diem se tenuerint ea mente ut asserunt, ut postmodum unanimi consensu in nostra et sedis apostolice obedientia et reverentia paribus gressibus incedere possent, et Carissimus in Christo filius noster Fredericus Rex Romanorum Illustris, ac Venerabilis frater noster Theodoricus Archiepiscopus Maguntinensis, et dilectus filius Nobilis Vir Fredericus Marchio Brandeburgensis sacri Imperii Electores, ac Venerabiles fratres nostri Fredericus Magdeburgensis, Fredericus Salzeburgensis, et Gerardus Bremensis Archiepiscopi, ac quidam alii Prelati et Principes dicte Nationis nobis debitam obedientiam per suos Oratores prestiterint, ac nos solum in Christi Iesu Vicarium recognoverint et professi fuerint, Nos attentis quod dicte neutralitatis et suspensionis tempore plurima in ipsa Natione acta gesta et facta fuerint que confirmationem indulgentiam et disposicionem super eos apostolice auctoritatis requirunt prefatorum Regis Archiepiscoporum Marchionis ceterorumque Prelatorum et Principum supplicationibus inclinati, omnes et singulas tam Metropolitanarum quam Cathedralium aliarumque ecclesiarum nec non dignitatum eciam Abbatialium ac post pontificales maiorum, et in Collegiatis ecclesiis principalium et aliorum benefitiorum ac officiorum ecclesiasticorum quorumcunque eciamsi ecclesie curate Canonicatus et prebende fuerint electiones postulationes confirmationes collationes provisiones et dispositiones necnon processus senteneias aliaque acta iudiciaria auctoritate ordinaria huiusmodi suspensionis et neutralitatis tempore factas seu facta, quae omnia et singula hic haberi voluimus pro sufficienter expressis, ac ea grata et rata habentes auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, Volentes ac eciam statuentes ut nulli qui in possessione ecclesiarum Monasteriorum dignitatum beneficiorum et officiorum huiusmodi quacunque eciam eorum qui Basilee post translationem et dissolutionem Concilii ibidem remanserunt auctoritate ea fuerunt assecuti, super huiusmodi ecclesiis dignitatibus benefitiis et officiis ac sentenciis et processibus eciamsi in Romana Curia vel extra eam lis cuius statum presentibus habemus pro expresso indecisa pendeat eciamsi per eas ad ea vel contra ea fuerit alteri ius quesitum seu ius aliqui se habere pretenderent ex nunc in antea in ipsa Curia vel extra eam apostolica vel alia quavis auctoritate impeti aut quomodo-

libet ex quavis ratione vel causa molestari possint sed in suis possessionibus pacifice remaneant lites quoque et causas quascunque super huiusmodi ecclesiis dignitatibus benefitiis et offitiis pendentes illis duntaxat exceptis que coram Ordinariis Iudicibus apud quos iuxta formam dicte suspensionis et protestationis exinde secute licuit litigare indecise pendent ad nos advocantes auctoritate et sciencia predictis extinguimus et super eis adversariis eorum perpetuum silentium imponimus, Possessores vero ipsos voluimus in suis ecclesiis Monasteriis dignitatibus benefitiis et officiis pacifice remanere, quibus omnibus ipsas ecclesias Monasteria dignitates beneficia et officia quocunque modo vacaverint auctoritate et scientia prefatis tenore praesentium conferimus et providemus, Ac illis qui pallium dictorum qui Basilee post nostram translationem sub nomine generalis Concilii remanserunt auctoritate receperunt, ut illo uti possint presentibus concedimus. et indulgemus, Illis autem qui non habent sine difficultate dabimus et eciam libere concedimus, Illis tantum personis exceptis que occasione privationum propter nostram aut Basiliensium adhesionem factarum beneficia detinent in quibus habeat locum provisio et dispositio super hiis que contra protestationem facta forent per praefatum Regem et Electores Imperii coniunctim vel divisim promulgata, per hoc autem nulli contendentium super titulo et iuribus ecclesiarum Frisingensis et Osiliensis voluimus aliquod preiudicium afferri aut eciam generari, sed liberum sit unicuique eorum ius suum prosequi iusticia mediante, Preterea omnia et singula que dictis suspensione et protestatione durantibus in preiudicium gravamen vel lesionem iurisdictionis iuris vel possessionis Metropolitanorum diocesanorum principatuum dominiorum Terrarum Regis et Electorum ac Archiepiscoporum predictorum necnon aliorum Episcoporum Praelatorum Collegiorum personarum seu rerum quarumcumque contra fedus protestationis et suspensionis huiusmodi quomodocunque vergentia apostolica vel alia quavis auctoritate concessa, ac in Iudicio vel extra obtenta, Insuper ecclesiasticas censuras mulctas et penas, Nec non cuiuscunque irregularitatis maculas tam a iure quam ab homine propter premissa quomodolibet promulgatas seu inflictas promulgandas quoque seu infligendas quoad Regem Archiepiscopos et Marchionem praefatos eorumque dominia clericos subditos et Vassallos postquam declarationem eorum et ad eos quoque qui infra sex menses a die datarum presentium computandos se declaraverint

pro nobis aut eidem declarationi adheserint cassamus irritamus et anullamus nulliusque esse decernimus roboris vel momenti, omnem irregularitatis et infamie maculam sive notam per eos premissorum occasione contractam penitus abolentes, ac eos rehabilitantes et restituentes ad eorum ecclesias benefitia offitia dignitates et honores quecunque ac in pristinum statum et eum in quo erant ante premissa reponentes, Nec non illis qui contra ipsos impetratis concessis vel obtentis seu impetrandis concedendis et obtinendis quomodolibet niterentur, eciamsi eis aut eorum alicui ius quesitum foret ex certa scientia de potestatis plenitudine perpetuum silentium imponentes, Insuper quascunque obligationes super annatis seu comunibus et minutis servitiis ceterisque iuribus nobis et Camere apostolice seu Collegio Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium ceterisque Officialibus debitis seu que debere dicerentur occasione quarumlibet Metropolitanarum et Cathedralium ecclesiarum Monasteriorum dignitatum offitiorum et benefitiorum quorumcunque usque in presentem diem remittimus de nostra liberalitate relaxamus pariter et donamus, eosque qui in huiusmodi debitis obligati essent ab omni eorum solutione absolvimus et eciam liberamus, dispensationes preterea quascunque nisi tales forent quas hactenus sedes apostolica concedere non consuevit, Indulta quoque forum consciencie respicientia eciam in casibus sedi apostolice reservatis, nec non novas provisiones pro possessoribus sine preiuditio iuris quesiti ipsa suspensione durante vel eciam antea a nobis aut ab eis qui Basilee sub nomine Concilii remanserunt aut Legatorum suorum vel alia quavis auctoritate obtentas impetratas concessas ac omnia inde secuta a die date concessionis earundem eadem auctoritate confirmamus, perinde ac si a nobis impetrata fuissent, Super sententiis autem in Romana Curia vel in Basilea sub nomine generalis Concilii ante ipsam suspensionem vel ea durante in causis, in quibus uterque litigantium ex ordinario titulo nititur prolatis, que executioni nondum sunt demandate, Volumus statuimus et ordinamus quod huiusmodi sentencie coram Iudice ordinario tractentur et quicquid utraque pars vellet producere pro iure suo coram eo debeat exhibere, Qui quidem Iudex sumarie simpliciter et de plano sola facti veritate inspecta procedens negotium ipsum unica valeat terminare sentencia, a qua nulli partium appellare liceat aut provocare vel restitutionem aliquam obtinere, Per hoc autem nullatenus preiudicare inten-

dimus eis qui possessionem dignitatum eciam Metropolitanarum Cathedralium et Abbatialium seu benefitiorum quorumcunque ordinaria vel alia auctoritate sub eadem Natione obtinentes durante neutralitate vel supensione predictis vigore processuum in Romana Curia vel in Basilea sub nomine generalis Concilii obtentorum aut alias violenter fuerunt spoliati, sed tam spolia quam iura eorum denuo coram Iudicibus ordinariis cognoscantur et fine debito derminentur, Insuper omnes et singulas prefate Nationis aut alterius in ea beneficia vel offitia obtinentes personas ecclesiasticas et seculares eciamsi Regalis Archiepiscopalis Episcopalis vel alterius dignitatis fuerint, qui post dissolutionem sive translationem prefati Concilii per nos factam congregationi Basiliensium sub nomine generalis Concilii adheserunt obediverunt aut incorporati fuerunt qui iam ad nostram obedientiam sunt reversi vel infra sex Menses post declarationem pro nobis factam redierint, seu declarationi ipsi adheserint ab omnibus et singulis iuramentis periurii reatu ac aliis censuris et penis si qui tenerentur aut incurrissent inflictis et in tales promulgatis aut propterea infligendis auctoritate prefata absolvimus et liberamus, ac omnem irregularitatis inhabilitatis et infamie maculam sive notam exinde quomodolibet forsan contractam abolemus, ac in pristinum statum restituimus et reponimus per inde ac si talia minime emanassent, Preterea omnes et singulas personas Nationis prefate sive alterius in ea benefitia vel offitia sicut premissum est obtinentes que sub declaratione huiusmodi pro nobis facienda continebuntur que post huiusmodi Concilii translationem Basilee remanserunt ac ipsi congregationi adheserunt faverunt offitiis in eadem prefuerunt, aut in legatione eorum missi sunt quandoque aut eis crediderunt, ab omnibus excommunicationis suspensionis interdicti aliisque censuris et penis in eas per processus nostros aut alias inflictis et promulgatis absolvimus cum hiis qui ibidem seu provisis[1]) ab ipsis aut eorum auctoritate sacros ordines dicto tempore receperant, ut in susceptis ordinibus ministrare valeant dispensantes, Volumus insuper quod singuli Metropolitani Nationis eiusdem actu iam nobis obedientes vel qui infra sex Menses ut prefertur nobis et apostolice sedi debitam obedientiam prebuerint consimiles bullas sive litteras apostolicas habeant super quibus petentibus quibuscunque quatenus opus fuerit sub eorum sigillis transumpta con-

1) Ita in aut. Lege: *a provisis.*

cedere valeant eisque in Iuditio et extra plena fides, sicut originalibus litteris per omnia prebeatur, Super ecclesiis autem Treverensi et Coloniensi de quibus in petitionibus Regis Archiepiscopi Maguntinensis et Marchionis prefatorum specialis est positus articulus per alias nostras Litteras desuper editas specialiter providimus prout in eis latius continetur, Ut autem premissa eo firmius observentur pro nobis et successoribus nostris Romanis pontificibus de Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romanae ecclesie Cardinalium consilio et assensu pollicemur omnia et singula supradicta inviolabiliter observare et contra ea vel ipsorum aliquod in tota vel in parte nullo umquam tempore, quicquam innovare, et quod nobis licere non patimur, eisdem successoribus indicamus, decernentes ex nunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam eciam quavis apostolica auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Quinymo si adversus premissa littere alique aut mandata, ad cuiuscunque instantiam vel eciam si motu proprio seu ex certa scientia eciam cum derogatoriis clausulis sub quacunque verborum forma a nobis, seu nostra auctoritate, aut ab alio quovis emanassent, seu in futurum emanarent, tales ex nunc pro infectis volumus haberi, quodque is contra quem emanassent aut concesse fuissent aut emanarent, et in futurum concederentur illis minime obedire teneatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis statuti advocationis extinctionis impositionis collationis provisionis concessionis indulti constitutionis oblitionis restitutionis rehabilitationis repositionis remissionis donationis liberationis ordinationis intentionis absolutionis indicationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctum petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto Septimo Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno sexto decimo.

XIX. Concordata inter Pontificem Nicolaum V. et Imperatorem Fridericum III. a. 1448 inita *).

In nomine Domini Amen. Anno a Nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, Die decima septima Mensis

*) Collata cum editione apud Koch Sanctio pragmatica p. 201.

Februarii, inter sanctissimum in Christo Patrem ac Dominum nostrum, Dominum Nicolaum, divina Providentia Papam quintum, Apostolicamque Sedem, ac Nationem Alamanicam: Sanctissimi Domini nostri et Sedis eorundem Nominibus, per Reverendissimum in Christo Patrem ac Dominum Ioannem, Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Legatum, ad Nationem Germanicam de latere missum, plena in ea parte auctoritate et potestate munitum; et pro ipsa natione Alamanica per gloriosissimum Principem ac Dominum nostrum, Dominum Fridericum, Romanorum Regem semper Augustum etc. plurimorum sacri Romani Imperii Electorum, aliorumque eiusdem Nationis, tam Ecclesiasticorum, quam Saecularium Principum consensibus accedentibus, conclusa, laudata et acceptata sunt Concordata subscripta. Sanctissimus Dominus noster Nicolaus Papa quintus super provisionibus Ecclesiarum Beneficiorumque quorumcunque, utetur Reservationibus Iuris scripti et constitutionibus execrabilis et ad Regimen modificatis, ut sequitur:

Ad Regimen Ecclesiae generalis quanquam immeriti superna Dispositione vocati, gerimus in nostris desideriis, ut debemus, quod per nostrae diligentiae studium ad quarumlibet Ecclesiarum et Monasteriorum Regimina et alia Beneficia Ecclesiastica iuxta divinum Beneplacitum et nostrae intentionis affectum, viri assumantur idonei, qui praesint et prosint committendis eis Ecclesiis, Monasteriis et Beneficiis praelibatis. Praemissorum itaque consideratione inducti et suadentibus nobis aliis rationabilibus causis, nonnullorum Praedecessorum Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, omnes Patriarchales, Archi-Episcopales, Episcopales, Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Dignitates, Personatus et Officia, nec non Canonicatus et Praebendas et Ecclesias, caeteraque Beneficia Ecclesiastica, cum Cura vel sine Cura, saecularia et regularia quaecunque et qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personae consueverint seu debuerint per Electionem, seu quemvis alium modum assumi; nunc apud Sedem Apostolicam, quocunque modo vacantia, et in posterum vacatura, nec non per depositionem, seu privationem, seu translationem, per nos seu auctoritate nostra factas, et in antea faciendas ubilibet; nec non ad quae aliqui in concordia seu discordia electi, vel postulati fuerint, quorum Electio cassata seu postulatio repulsa, vel per eos facta renuntiatio et admissa Auctoritate nostra extiterit; seu quorum electorum vel postulatorum, et in antea eligendorum vel postulandorum Electionem

cassari, seu postulationem repelli, aut renuntiationem admitti per nos aut Auctoritate nostra continget, apud Sedem praedictam vel alibi ubicunque, et etiam per obitum Cardinalium eiusdem Ecclesiae Romanae, aut Officiariorum dictae Sedis, quamdiu ipsa Officia actualiter tenebunt, videlicet Vice-Cancellarii, Camerarii, septem Notariorum, Auditorum Litterarum contradictarum et Apostolici Palatii causarum Auditorum, Correctorum, centum et unius Scriptorum Litterarum Apostolicarum, et viginti quatuor Poenitentiariae praefatae Sedis, et viginti quinque Abbreviatorum, nec non verorum Commensalium nostrorum et aliorum viginti quinque Capellanorum Sedis eiusdem in Ephitaphio descriptorum et etiam quorumcunque Legatorum seu Collectorum ac in terris Romanae Ecclesiae Rectorum et Thesaurariorum, deputatorum seu missorum hactenus, vel deputandorum aut mittendorum in posterum, vacantia et in antea vacatura; ubicunque dictos Legatos vel Collectores seu Rectores aut Thesaurarios, antequam ad Romanam Curiam redierint seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis. Nec non quorumlibet pro quibuscunque negotiis ad Romanam Curiam venientium seu etiam recedentium ab eadem, si in locis a dicta Curia ultra duas Diaetas legales non distantibus iam forsan obierint, vel eos in antea ab hac luce transire contigerit; etiam simili modo quorumcunque Curialium, peregrinationis, infirmitatis seu recreationis, vel alia quacunque causa ad quaevis Loca secedentium, si eos, antequam ad dictam Curiam redierint, in Locis ultra duas Diaetas, ab eadem Curia, ut praemittitur, non remotis, dummodo eorum proprium Domicilium non existat ibidem, iam forsan decesserint, vel in posterum eos contigerit de medio submoveri et nunc per obitum huiusmodi vacantia vel in posterum vacatura; rursus Monasteria, Prioratus et Decanatus, Dignitates, Personatus, Administrationes, Officia, Canonicatus, Praebendas et Ecclesias, caeteraque Beneficia Ecclesiastica, saecularia et regularia, cum Cura et sine Cura, quaecunque et qualiacunque fuerint; etiamsi ad illa personae consueverint seu debuerint per Electionem, seu quemvis alium modum assumi, quae promoti per nos vel Auctoritate nostra ad Patriarchalium, Archi-Episcopalium et Episcopalium Ecclesiarum, nec non Monasteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum, nunc quocunque modo vacantia, aut in posterum vacatura, nec non etiam, quae per assecutionem pacificam quorumcunque Prioratuum, Dignitatum, Personatuum, Officiorum, Ca-

nonicatuum, Praebendarum, Ecclesiarum aut Beneficiorum aliorum per nos, seu Auctoritate nostrarum Litterarum immediate collatorum, seu conferendorum in posterum, praeterquam si virtute gratiae exspectativae assecutio fiat, nunc vacantia et in antea vacatura, plena super praemissis omnibus et singulis cum fratribus nostris collatione praehabita, et matura deliberatione secuta ordinationi dispositioni ac provisioni nostrae, de ipsorum fratrum consilio, Auctoritate Apostolica, reservamus. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super praemissis, et quolibet eorum, per quoscunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Item in Ecclesiis Metropolitanis et Cathedralibus, etiam Apostolicae Sedi immediate non subiectis, et in Monasteriis Apostolicae Sedi immediate subiectis, fiant Electiones Canonicae, quae ad Sedem Apostolicam deferantur, quas etiam ad tempus constitutum in Constitutione Nicolai, quae incipit: Cupientes Papa exspectet; quo facto, si non fuerint praesentatae, vel si praesentatae minus Canonicae fuerint, Papa provideat. Si vero Canonicae fuerint, Papa eas confirmet; nisi ex causa rationabili et evidenti, et de fratrum consilio de digniori et utiliori persona duxerit providendum. Proviso, quod confirmati et provisi per Papam, nihilominus Metropolitanis et aliis praestent debita Iuramenta et alia, ad quae de Iure tenentur.

In Monasteriis, quae non sunt immediate subiecta Sedi Apostolicae, nec non in aliis Beneficiis regularibus, super quibus pro confirmatione seu provisione non consuevit habere recursus ad Sedem Apostolicam, non teneantur venire Electi, seu illi, quibus providendum est, ad Curiam, ad habendum confirmationem vel provisionem; nec etiam dicta Beneficia regularia cadant in gratiis exspectativis. Ubi autem in Monasteriis ad Curiam Romanam venire seu mittere consueverunt, ibi Papa aliter non confirmet seu provideat, quam superius de Cathedralibus Ecclesiis est expressum. De Monasteriis Monialium Papa non disponat, nisi sint exemta, et tunc per Commissionem in partibus. De caeteris Dignitatibus et Beneficiis quibuscunque saecularibus et regularibus vacaturis, ultra reservationes iam dictas maioribus Dignitatibus post Pontificales in Cathedralibus et Principalibus in Collegiatis exceptis, de quibus Iure ordinario provideatur per illos inferiores, ad quos alias pertinet. Idem sanctissimus Dominus noster per quamcunque aliam reservationem, gratiam exspectativam aut quamvis aliam Dispositionem sub

quacunque verborum forma, per eum aut eius Auctoritate factam vel fiendam, non impediet, quo minus de illis, cum vacabunt de mensibus Februarii, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris, et Decembris, libere disponatur per illos, ad quos Collatio, provisio, praesentatio, electio aut alia quaevis Dispositio pertinebit, Reservationibus aliis premissis ac Dispositionibus Auctoritate eiusdem Domini nostri Papae factis vel faciendis, non obstantibus quibuscunque. Quoties vero aliquo vacante Beneficio de mensibus Ianuarii, Martii, Maii, Iulii, Septembris et Novembris, Dispositioni Apostolicae Sedis reservatis, non apparuerit infra tres menses a Die notae vacationis in Loco Beneficii quod alicui de illo Apostolica Auctoritate fuerit provisum, ex tunc et non antea, Ordinarius vel alius, ad quem illius Dispositio pertinebit, de illo libere disponat.

Item ad finem, ut haec ordinatio Collationis Beneficiorum non reservatorum per alternos menses possit per nationem publicari, et omnes, qui ipsa gaudere voluerint, tempus congruum habeant eandem acceptandi, tunc quoad Apostolicam Sedem in Kalendis Iunii proxime futuris ipsa currere incipiet, durabitque deinceps, nisi in futuro Concilio de Consensu nationis aliter fuerit ordinatum.

Item circa provisionem Apostolicae Sedi ordinandam, modus Annatarum hoc modo currat: De Ecclesiis Cathedralibus omnibus et Monasteriis virorum duntaxat, vacantibus et vacaturis, solventur pro fructibus primi Anni a Die vacationis, Summae pecuniarum in libris Camerae Apostolicae taxatae, quae communia servitia nuncupantur. Si quae vero excessive taxatae sunt, retaxentur; et providentur specialiter in gravatis regionibus secundum qualitatem rerum, temporum et regionum, ne nimium praegraventur: ad quod sanctiss. D. N. petentibus dabit Commissarios in partibus, qui diligenter inquirant, et retaxent.

Taxae autem praedictae pro media parte infra annum a Die habitae possessionis pacificae totius vel maioris partis solvantur; et pro media parte alia infra sequentem annum. Et si infra annum bis vel pluries vacaverint, semel tantum solvetur; nec debitum huiusmodi in successorem in Ecclesia vel Monasterio transeat: de caeteris Dignitatibus, Personatibus, Officiis et Beneficiis saecularibus quibuscunque et regularibus, quae Auctoritate Sedis Apostolicae conferentur, vel de quibus providebitur, praeterquam vigore exspectativarum, aut causa per-

mutationis solvantur Annatae seu medii fructus iuxta taxam solitam, a tempore possessionis infra annum, et debitum huiusmodi in successorem in Beneficio non transeat. De Beneficiis vero, quae valorem viginti quatuor florenorum de Camera non excedunt, nihil solvatur, curratque haec Observantia deinceps, nisi eam similiter in futuro Concilio de Consensu nationis immutari contingat.

In aliis autem, quae per felicis recordationis Dominum Eugenium Papam quartum, pro natione praefata, usque ad tempus futuri Generalis Concilii permissa, concessa, indulta, atque decreta, et per memoratum sanctissimum Dominum nostrum Papam Nicolaum confirmata fuere, in quantum illa Concordiae praesenti non obviant, ista vice nihil extitit immutatum.

Voluit etiam memoratus Dominus Legatus, quod super Concordatis praesentibus, singuli Metropolitani praedictae nationis, petentibus quibuscunque, quantum opus eis videbitur, sub suis sigillis transsumta concedere valeant, quodque transsumtis eisdem in Iudicio et extra stetur et adhibeatur, tanquam huic originali Cartae, per omnia plena fides. Per hoc autem, quod in Concordatis huiusmodi, sive quibusvis aliis eorum occasione conficiendis Litteris, propter competentiorem Descriptionem Alamania specialis appellatur natio, ipsa censeri non debet a Germanica natione distincta, seu quomodolibet separata. Ad fidem igitur et robur omnium praemissorum Nos Fridericus Romanorum Rex, et Nos Iohannes Cardinalis Legatus supradicti Cartam praesentem nostris appensis mandavimus communiri Sigillis. Ad Mandatum Domini Regis in Consilio.

XX. Ordo inquisitionis in synodo*).

Forma ad celebrandam Synodum laycalem secundum formam scribtam domini Warmiensis.

Franciscus dei gracia Episcopus Warmiensis vniuersis et singulis Ecclesiarum Parochialium Rectoribus et eorum loca tenentibus per Sedem Crutzburg constitutis Salutem in domino. Noueritis quod nos officium visitacionis Ecclesiarum Parochialium exequi cupientes constituimus et deputamus dictarum Ecclesiarum

*) Edidit Jacobson Geschichte der Quellen des Kirchenrechts des Preussischen Staats I. Theil. I. Band p. (270). Vide Lehrbuch des Kirchenrechts §. 187. not. 9.

et populi sub eis constituti visitatores honorabiles viros dominos Petrum plebanum in Melsack et Iacobum plebanum in Wartynberg Curie nostre penitenciarium ad recipiendam denuncciacionem super excessibus per dictam Sedem Crutzburg constitutis, vnde vobis omnibus et singulis intimamus, quod dicti domini visitatores infrascriptas Ecclesias in dicta Sede Crutzburg dante domino visitabunt, videlicet die purificacionis marie in Crutzburg feria secunda in Tiffentail feria tercia in Persk feria quarta in Brandenburg feria quinta in Habirstro feria sexta apud sanctum Gregorium foris Civitatem Sambiensem Sabbato in Neuendorff die dominica videlicet octava purificacionis marie in Steynbach feria secunda in Levenhayn feria tercia in Ottenhayn feria quarta in Starkenberg feria quinta in Pregirswald feria sexta in Vochsberg Sabbato in Burkardisdorff die dominica in Seligenfelt feria secunda in Lodewigeswalde feria tercia in Lichtenhayn feria quarta in Mansfeldt et feria quinta in Thoraw. Ita quod ipsi visitatores semper venient ad locum visitandum ad cenam diei precedentis. Sic quod Sabbato qui erit vigilia purificacionis marie ad cenam erunt in Crutzburg et die purificacionis marie in Tiffentail et sic consequenter secundum ordinem. Idcirco tenore presencium citamus vniuersos et singulos dictorum Ecclesiarum Parochianos pruthenos theotrunicos et polonos, vt singuli in die sibi supra deputata veniant mane ad missam et sermonem ad audiendum Articulos inquisitionis super criminibus et defectibus Nec non denuncciacionem faciant de personis quibuscunque in civitatibus sive villis parrochiis Consulatibus fraternitatibusque constitutis, super criminibus magnis et manifestis qualitercunque sciverint per evidenciam aut famam publicam visitatoribus predictis Et vt expedite inquisicionis negotium transeat servent formam que sequitur videlicet in civitate vel opido Consulatus constituat ex se duos honestos et fide dignos denuncciatores siue scabinos synodales qui postquam constituti fuerint denuncciatores seu scabini huiusmodi, contestent se vel unum aut omnes de consulatu, quod sub fide christiana et bona consciencia dicant eisdem singuli que in Consulatu in communitate, civitate vel opido et tota parochia et ubicunque sciverint per evidenciam facti vel famam publicam denunccianda tantum de criminibus manifestis non ex odio sed caritate ad emendacionem excessuum et reformacionem morum. Similiter quelibet fraternitas duos de sua fraternitate denuncciatores sive scabinos constituat qui similiter fratres suos contesta-

buntur. Similiter singule ville constituant duos huiusmodi denuncciatores sive scabinos, qui sic constituti ammonebunt omnes villanos quatenus sub fide christiana et conscientia bona dicant eis que sciverint in ipsa villa vel etiam in Civitate vel opido vel aliis locis sue parochie de criminibus tantum manifestis denuncciando, non ex odio sed caritate ad emendacionem excessuum et reformacionem morum. Demum dicti denuncciatores seu scabini synodales recipiant denuncciaciones a predictis et memorie studiose commendent in preparacionem inquisicionis, vt visitatoribus cum Ecclesiam suam visitabunt fidelem faciant denunciacionem et veritatem respondebunt ad interrogata, iuxta inquisicionem que sequitur. Denuncciandi sunt hi qui dicunt contra fidem et sacram Ecclesiam. Item qui dicunt contra constituciones apostolorum et eorum successorum sanctorum patrum contra Decretum et Epistolas decretales ut dicere, non est ieiunandum vel celebrandum vel confitendum vel non observandum quod mandat Ecclesia. Item invocantes et adiurantes demones ad inveniendum vel ad vestigandum aliqua, vt sortilegi, incantatores, carminatores et malefici. Item qui sacramentis vel rebus pro officio ecclesie consecratis abutuntur ad alios vsus quam ad quos sunt instituta a deo vel ecclesia. Item quorum pueri vel infirmi mortui sunt sine sacramentis ex sua culpa. Item qui non communicant singulis annis. Item qui non celebrant dies festivos sed laborant sine magna causa et necessaria. Item qui non ieiunant statuta ieiunia. Item qui diebus festivis non visitant Ecclesiam nec audiunt sermonem nec officium misse. Item qui sunt in magnis peccatis nec susceperunt penitenciam, aut si susceperunt penitenciam non tamen volunt penitere, vt manifesti et notorii peccatores videlicet blasphemi dei et sanctorum, excommunicati, interdicti, homicide, incendiarii, periuri, vsurarii, fures, merces suas, vlnam aut mensuram suam vel pondera falsificantes, adulteri, stupratores et manifesti fornicatores seu concubinas habentes, percussores parentum. Item qui contraxerint matrimonium non certificati de morte prioris coniugis et maxime ubi adhuc coniux creditur superstes sive vivens. Item qui compaternitate aut filiacione sive cognacione spirituali ex baptismo vel confirmacione contracta de facto in matrimonio constituti, Item qui consangvinitate primo 2do 3tio vel 4to gradu coniuncti fuerint de facto in matrimonio constituti. Item si quis defuncta uxore vel eciam sponsa constitutus est de facto in matrimonio cum ea que fuit consangvinea defuncte vel in aliquo

predictorum graduum. Simile de muliere que contraxit cum consangvineo mariti vel sponsi defuncti. Item si quis non cohabitat vxori sue vel vxor marito. Item si qui in matrimonio constituti scandalose vivunt dissencientes et male se habentes ac tractantes verbis et verberibus occulte vel manifeste et in hoc etiam vicinos suos turbantes.

Preterea committimus et mandamus Vobis vniversis et singulis ecclesiarum parochialium rectoribus supradictis quatenus competenti die et hora publice de ambone parochianos vestros ad premissa citetis ad terminum unicuique ecclesie superius prefixum, scilicet ut tali die quo visitatores venient sint apud ecclesias suas in missa et sermone. Et omnia premissa eis insinuetis et exponatis et ad processum denunciacionis iuxta formam superius traditam diligenter informetis, ne cum visitatores venerint negligentes vos reperiant et reprehensione dignos. Volumus insuper quod dictis visitatoribus consvetam et moderatam procuracionem de cibis, potibus et pabulo equorum cum apud vos fuerint, faciatis. Ad quam provisionem prestandam vitrici ecclesie cuiuslibet dabunt cuilibet vestrum in subsidium secundum antiquam consvetudinem vestram fertonem bonum, certificando eosdem vitricos ecclesie et quoscunque alios qui se in hoc opposuerunt quod contra eos tamquam impeditores ecclesiastice iurisdiccionis procedemus.

Quilibet vestrum perlectis et consideratis, que in presentibus litteris continentur, speciales litteras vicino suo plebano iuxta ordinem supra notatum mittat, ita quod ordo non lederetur ne negligencia committatur. Et in signum execucionis huiusmodi quilibet vestrum nomen suum et diem qua presentes litteras acceperit et qua a se remiserit presentibus fideliter sub debito obediencie inscribat vt unumquemque de sua diligencia poterimus considerare, contrafacientes vero pena synodali mulctabimus irremissibiliter persolvenda. Datum in Castro nostro Heilsberg Anno Domini MCCCCXLIIII die sancto prisce virginis Nostro sub Secreto.

XXI. Ordo celebrandi generalis concilii *).

Caput I.

De Concilio generali.

Scripturi Cerimonias, in sacro Generali Concilio servandas,

*) Ex libro cui titulus: Sacrarum cerimoniarum Romanae ecclesiae

primum de loco Concilii, et sedium dispositione disserendum putamus: *deinde* de personis, et earum habitu: *tertia* de ordine rerum gerendarum, et *ultimo* de sacris precibus et orationibus ad Deum.

Generale Concilium tunc canonicum et *legitimum* reputatur, cum a Romano canonico Pontifice inducitur, vel quod schismatis saevientis procella catholica Ecclesia sibi ipsi indicit. Neque Concilium aliquod susceptum legimus, quod Apostolica beati Petri sedes non probaverit, illique vel per suum antistitem, Romanum Pontificem, vel per eius legatos non praefuerit.

Caput II.

De loco et sedibus Concilii.

In dicto igitur Concilio generali ornetur locus Concilii, id est, ubi publicae sessiones habendae sunt in Ecclesia cathedrali, sive alio capaci loco, in hunc ferme modum.

Primum caveatur, ut nullus omnino aditus relinquatur ad ipsum locum, praeter unum tantum, qui valvis et firmis clausuris obserari possit. Si erit Ecclesia cathedralis, relinquenda erit, dummodo sit capax, pars superior apud Altare maius pro missis solennibus celebrandis, et asseribus, aut alia materia separanda a parte inferiori, in qua sedes aptabuntur pro Concilio. Igitur in capite loci, ubi sessiones celebrandae erunt, constituetur thalamus *pro sede Papae*, cum tribus gradibus debitae proportionis, latitudo ultimi plani erit decem palmorum, longitudo vero duodecim: in medio erit sedes cum suo postergali, et cum scabellis magno et parvo, et omnia erunt ornata, ut fit in publico Consistorio; erunt etiam duo scabella hinc inde pro Diaconis assistentibus Papae. In ista linea nullae aliae erunt sedes, nisi forte Imperatoris, aut Regum, si quis istorum esset interfuturus Concilio. Sedes IMPERATORIS parabitur iuxta sedem Papae: quae habebit duos gradus coniunctos gradibus Papae, *sed non tantae latitudinis aut longitudinis;* erit ornata cum panno aureo post tergum, sed non supra caput, habebit scabellum parvum ad pedes, viridi colore pictum. *Et*

lib. I. sect. XIV., denuo edito a Hoffmann Nova scriptorum ac monumentorum collectio. Tom. I. pag. 269—740. Notabilem hunc libellum ab Augustino Patricio Piccolomineo a. 1488 compositum esse Editor firmis argumentis probavit. Caeterum vide Lehrbuch des Kirchenrechts §. 157. not. 9.

advertendum, quod locus, ubi sedet Imperator, non sit altior loco, ubi tenet pedes Pontifex. Si vero Reges adessent unus vel duo, parentur sedes pro eis cum postergali usque ad spatulas, et ordinentur ut scamna Cardinalium, habebunt tamen pulvinaria ex cramesino, et scabellum viride sine gradibus, et ponentur *hinc inde non ad lineam omnino sedis Papae, sed aliquantulum transversae, ut possint respicere ad faciem Pontificis a dextris, deinde et a sinistris intra gradus sedis Papalis.* Per longitudinem loci erunt scamna pro Cardinalibus et Praelatis cum postergali, et unico gradu, longitudinis octo cannarum, vel circa, sed media pars a dextris, pro Episcopis et Presbyteris, et alia pars a sinistris pro Diaconis Cardinalibus, erit aliquantulo eminentior, videlicet quatuor, aut quinque digitorum altitudine, pulchrioribus pannis ornata. Post scamna praedicta in transversum ante faciem Pontificis ad lineam erigantur quatuor sedes Patriarchales distinctae et separatae suis postergalibus, et gradibus ad similitudinem scamnorum praedictorum, et collocentur paribus intervallis: ita ut quadraturam facientes lineam transversalem impleant, et inter duas medias erit quasi ianua, ut aditus ad sedes primae quadraturae. Intra hanc primam quadraturam fient sedilia humiliora sine gradibus, et sine postergali per longitudinem cum transversa usque ad aditum: qui debet relinqui latitudine unius cannae vel circa. Post primam quadraturam fient et alia scamna post priora eiusdem fere altitudinis sine postergali tamen, quae complectantur post etiam patriarcharum sedes, relicto spatio pro aditu, et item si locus erit capax, fiat alius ordo sedilium post secundum, et tot, quot loci amplitudo, et Praelatorum numerus exigit: Erigatur etiam in dicto conventu Altare aliquod cum Cruce, et sacra Eucharistia, sive reliquiis Sanctorum in loco congruo: ubi possit Pontifex orare cum venit ad Concilium, et cum dicit preces pro synodo, illuc faciem convertere.

Si autem Papa non erit futurus in Concilio, poterunt scamna praedicta fieri apud Altare maius sine sede Papali. Et praesidens Concilii, finita missa, paratus sacris vestibus ac si esset celebraturus sedebit in faldistorio, posito ante Altare, vertens renes ipsi Altari.

Caput III.

Qui habent vocem deliberativam in Conciliis.

In Conciliis autem illis venerandis ac sacrosanctis, quibus

fides nostra, et recta vivendi norma purgata, atque firmata est, non legimus intervenisse statuendi causa nisi Episcopos et abbates, et hi tantum decretis se subscribebant. Episcopos appellamus etiam Episcoporum Principes: *quoniam haec est suprema in Ecclesia Dei potestas, inferioris autem gradus Ecclesiasticos viros, et principes seculares consulendi, ac instruendi gratia, non autem decernendi intererant:* qui (ut periti aiunt) consultivam vocem habent in Conciliis, non definitivam, seu deliberativam. Aderunt igitur in Conciliis *ad statuendum* ROMANUS *Pontifex* tanquam rector et moderator totius Ecclesiae, pastor gregis dominici, et omnium Episcoporum Episcopus. *Sacer Cardinalium senatus, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates,* quibus non immerito et *ordinum religiosorum Generales magistri* additi sunt, denique omnes *Praelati,* qui secundum formam iuramenti, quod praestant cum ad dignitates promoventur, ad synodum venire tenentur. *Alii autem, ut diximus, disserendi, instruendi, consulendive gratia poterunt interesse, non tamen in sessionibus publicis induti sacris vestibus sedebunt, neque sententiam dicent.*

Caput IV.

De diversis officialibus Concilii.

Aderunt etiam diversi magistratus, et ministri Concilii, ultra quos tamen Pontifex Summus (si praesens erit) constituet alios, qui negotia proponenda suggerant. Alios qui venientes ad Concilium in volumine describant, missorum, ac legatorum facultates examinent, et publica documenta rimentur. Alios, qui locum Concilii custodiant. Gesta autem Concilii excipere, et in publicam formam redigere, spectat proprie ad protonotarios Apostolicos, clericos camerae, et Secretarios Papae, qui tamen, antequam scripta sua publicent, corrigenda illa exhibeant his, qui a Pontifice, sive a Concilio erunt deputati. Sedes autem omnibus consignabunt clerici cerimoniarum: Si Papa erat in Conciliis, et cum difficultas aliqua orietur, consulent super ea re Summum Pontificem. Sin vero Summus Pontifex abesset, constituerentur a Concilio, qui sedibus consignandis praesint.

Caput V.

Ordo sedendi in Conciliis.

Ordo autem sedendi in publicis sessionibus hic erit. Sum-

mus Pontifex in solio Pontificali sedebit, cui a lateribus super scabellis sedebunt Diaconi duo assistentes, et prior Presbyterorum in scabello etiam in loco eminenti, sive a dextris, sive a sinistris, prout in capella cum Papa celebrat, sed tunc, et quoties in divinis ministrat, ut Capellanus assistens erit indutus pluviali, non planeta. IMPERATOR, si aderit, sedebit in sede sua ad dextram Pontificis, et tunc Diaconi non sedebunt apud sedem Papae, sed ante ipsam sedem hinc inde super parvis scabellis, ut erat mos antiquis, et hoc, ne Diaconus a dextris videatur sedere medius inter Papam, et Imperatorem. REGES sedebunt in nominatis sedibus suis: Episcopi et Presbyteri Cardinales in prima parte eminentiori scamnorum a dextris, Diaconi Cardinales praeter illos duos in prima parte sinistris. Patriarchae quatuor Ecclesiarum Constantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, et Hierosolymitanus sedebunt in quatuor illis sedibus singularibus contra faciem Pontificis. Et nota, quod praedicti Patriarchae in missis, et aliis actibus, sive sint parati, sive non, sedent ante assistentes Papae. Alii Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates parati sedebunt in scamnis post Cardinales hinc inde, primum tamen locum habebit Vice-Camerarius, si erit Praelatus. Et ita servatum legimus in *Concilio Pisano,* praesidente ALEXANDRO V. et in *Constantiensi,* praesidente IOANNE XXIII. Deinde oratores Regum, et Principum, si erunt parati, inde reliqui Praelati parati. Et impleta prima quadratura scamnorum, implebuntur reliquae post illam: postremi erunt Generales ordinum. Et adverte, quod Praelati omnes, cuiuscunque sint gradus, secundum GREGORII Papae *decretum,* sedebunt inter Collegas suos secundum ordinem, sive promotionem suam. Assistentes Papae parati sedebunt super gradus thalami *Pontificalis* ad sinistram partem, Protonotarii Apostolici, et clerici camerae ad dextram, Subdiaconi vero, auditores rotae, et acoluthi in parte anteriore ad pedes Papae. Super planum sedebunt duo cubicularii secreti Papae, Decanus auditorum, qui servit de mitra, et Secretarius Papae, si non est Praelatus. Oratores autem laici, sive non Praelati, sedent intra primam quadraturam in sedibus illis humilioribus, pro dominorum suorum dignitate, ita ut digniores sint propinquiores primis scamnis Papae, et si aderit *aliquis magnus Princeps,* sedebit in scamno Diaconorum post omnes Diaconos, si alias consuevit sedere in suo scamno, alii inferiores Domini laici inter vel post oratores non Praelati, secundum

eorum qualitatem. Caeteri vero sacerdotes, et Clerici, qui aderunt, stabunt post scamna Praelatorum, ut poterunt.

Caput VI.

Ordo rerum gerendarum in Conciliis.

Ordinem autem rerum agendarum ex antiquis concilis propter eorum vetustatem colligere non potuimus, nisi quantum ad sessiones pertinet, in quibus discussa communiter proponebantur, et per verbum, PLACET, a patribus firmabartur. Sed quoniam novissimorum Conciliorum, *Constantiensis, et Basiliensis* res gestae diligentissime annotatae fuerunt, et in ordine satis inter se congruunt, modum in illis servatum perstringemus; sed defuit in Basiliensi congregatione multitudinis in sanctos Episcopos reverentia, et superabundavit temeritas, atque arrogantia, quando non pluris fieret sententia optimi cuiusque Antistitis, quam minimi Canonici, et id quod ad Episcopos spectat, diffinire, et sancire unusquisque sibi arrogaret, unde Ecclesiam Dei, quam imitari convenit, in diuturnam et perniciosam scissuram adduxit. Ordinem igitur profecto illius Concilii, et procedendi modum laudarem, si Praelatis tantum, ut prisci voluerunt, decernendi, et diffiniendi potestatem permisissent. Sed abstinebunt (ut arbitror) postea horum exemplo ab huiusmodi novitate, et bene ordinata idoneis ministris committent. Modum igitur hunc servabant, qui absente Pontifice non incompetenter fortasse servari poterit, si Praelatis, ut diximus, relinquetur tantum statuendi facultas.

Caput VII.

De Constantiensi et Basiliensi Conciliis.

Primum omnes ad Concilium venientes sive suo, sive alieno nomine per cursores praeordinatos describebantur: tum patres omnes per quatuor nationes dividebant ITALICAM, GERMANICAM, GALLICAM, et HISPANIENSEM. In Constantiensi tamen synodo: quia Hispani cum suo BENEDICTO XIII. diu in contumacia persistentes non affuerunt, nisi in fine. ANGELICANA quartum locum obtinuit, quae Basileae cum Gallicana est connumerata. Ex nationibus pari ex unaquaque numero quatuor conventus creabant: quas sacras deputationes vocitabant, locis, vocabulis, et potestate discretas. Nam in *prima* fidei catholicae: *secunda* de pace populi Christiani: *tertia* de reformatione Ecclesiae, et in *postrema* de aliis emergentibus nego-

tiis agitabatur. Erant cuique conventui separata tribunalia et loca, in quibus convenirent proprii magistratus: *Praesidens*, qui concionem advocaret, negotia proponeret, et secundum maioris partis sententias concluderet. *Promotor*, qui tanquam curator publicus ingereret negotia, instaretque, ut absolverentur. *Scriba*, qui gesta decretaque publicis documentis annotaret. Nuncius deinde sive apparitor, qui patres convocaret, citaret, edicta proponeret, et similia. Conveniebant haec collegia ter in hebdomada iisdem horis in propriis praetoriis, ubi, re divina peracta, rebus gerendis operam dabant. Ex quatuor deinde sacris deputationibus duodecim virorum collegium eligebatur, terni ex unoquoque conventu et natione, viri doctrina, et experientia clari, ad hos negotia omnia primum deferebantur, qui, rebus mature digestis, vel ea respuebant, vel si admittenda videbantur, ad collegium, cui competerent, remittebant, eratque his potestas, cum aliquid grave instaret, convocare quatuor conventus etiam extra ordinem. Caeterum, quae a duodecim virorum collegio ad quempiam ex quatuor conventibus remittebantur, proponebantur per praesidentem illius conventus, neque licebat illa die de propositis decernere, nisi res manifeste celeritatem necessariam exigeret. Quod maior deinde pars statuisset, ad alios tres conventus deferebatur; eorum opinio cum rationibus, et argumentationibus utriusque partis. Quod per tres conventus approbatum erat, ad praesidentem Concilii publicis documentis deferebatur, qui statuto die in generali congregatione de ea re referebat, neque licebat praesidentem de aliqua re agere cum patribus in generali conventu, nisi prius de ea deliberatum, (sive ut aiebant) conclusum fuisset per quatuor, aut saltem per tres deputationes. Demum ubi quippiam a partibus approbatum erat in generali congregatione, quae octavo quoque die frequentabatur, in formam decreti redactum in publica sessione ritu solenni statuebatur.

Caput VIII.

De generali congregatione in Conciliis.

Generalis congregatio differt a publica sessione, quod in illa res statuendae per quatuor deputationes discussae approbabantur hoc modo: Ubi in sacris deputationibus aliquid censebatur, praesidens illarum quisque in suo conventu id firmabat his verbis: *In nomine Sanctae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Ego concludo in talem sententiam.* Idem fie-

bat deinde in generali congregatione, ubi vero praesidens Concilii praesidentium deputationum vota cognoverat, concludebat nomine totius Concilii. Oportebat tamen illum concludere secundum praesidentium vota, his peractis, cum res ita exigebat, publica sessio indicebatur. In omnibus tamen supradictis, si Papa erit praesens, ipse erit rector, moderator, ac dispensator, et deputationes, Collegia, magistratus, et rerum omnium ordinem pro suo arbitrio constituet. Quae ideo recensuimus, ut posteri hinc capere possint, quae reipublicae magis expedire videbuntur.

Caput IX.

De publica sessione et sacris precibus.

Publicae sessiones his cerimoniis celebrari consueverunt: Antequam prima sessio celebretur, indicitur omnibus Conciliariis triduanum ieiunium, deinde statuta die Pontifex cum omnibus Praelatis, et aliis, qui interesse debent, ac Clero cum sacra pompa, si placet, venit ad locum consilii, ubi per ipsum Pontificem, vel alium Praelatum, cantatur missa de Sancto Spiritu, et fit Pontifici reverentia per Cardinales, et omnes Praelatos paratos. In aliis sessionibus non solet semper cantari missa solennis ante, sed Papa, audita missa privata, venit ad consilium cum pluviali rubro, et mitra preciosa, et facta oratione ante Altare, ascendit ad sedem suam, et similiter omnes alii sedent in sedibus suis praenominatis, et fit ei reverentia a Cardinalibus cum suis cappis laneis, si prius non est facta; deinde duo seniores Diaconi accipiunt dalmaticas, et unus eorum stolam et manipulum, quia est cantaturus Evangelium, Subdiaconus etiam paratur, deinde accedunt ad Pontificem, et imponunt ei sandalia, et dicitur Psalmus: *Quam dilecta.* Interim Cardinales et alii Praelati accipiunt paramenta sibi convenientia, omnes rubri coloris; omnibus indutis, aliquantulum quiescunt. Tunc silentio facto, Diaconus a dextris surgens, alta voce praefatur: *Orate.* Et mox tam Pontifex super faldistorium sibi paratum, quam alii sine mitra in terra genuflexi dicendo orant, versi ad Altare: surgens deinde Pontifex solus, aliis prostratis permanentibus, absolute dicit hanc orationem in tono competenti, videlicet: *Adsumus, Domine Sancte Spiritus, adsumus quidem peccati immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati, veni ad nos, et esto nobiscum, et dignare illabi cordibus nostris. Doce nos, quid agamus, quo gradiamur et ostende, quid efficere*

debeamus, ut, te auxiliante, tibi complacere in omnibus valeamus, esto salus, et effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, et eius Filio nomen possides gloriosum, non patiaris perturbatiores esse iusticiae, qui summam diligis aequitatem, non in sinistrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio munerum, vel personae corrumpat, sed iunge nos efficaciter tibi, solius tuae gratiae dono; ut simus in unum, sed in nullo aberremus a vero, quatenus in nomine tuo collecti sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iusticiam, ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur praemia sempiterna. Qua finita, omnes respondeant, *Amen.*

Finita oratione, Diaconus a sinistris surgens, versus ad Patres dicit: *Erigite vos,* et omnes surgunt. Et cantores cantant Antiphonas:

Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua secundum multitudinem miserationum tuarum, respice nos Domine. Iterum Diaconus a dextris conversus ad patres dicit: *Orate:* et similiter omnes procumbunt, et aliquantulum orant secrete. Surgens deinde Diaconus a sinistris dicit: *Erigite vos*; et omnes surgunt. Et Pontifex omnibus stantibus detecto capite dicit orationem absolute. *Mentes nostras, quaesumus Domine, Paracletus, qui a te procedit, illuminet, et in omnem, sicut tuus promisit Filius, inducat veritatem. Qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem.* Qua finita, iterum omnes genuflectunt, et fit litania, quae per duos ex cantoribus pronunciatur, et omnes respondent, et post versum illum, *ut donum Apostolicum etc.* surgens Pontifex cum mitra benedicit, Synodo dicens: *Ut hanc Sanctam Synodum, et omnes gradus Ecclesiasticos benedicere digneris.* Et omnes respondent: *Te rogamus, audi nos.* Iterum dicit: *Ut hanc Sanctam Synodum, et omnes gradus Ecclesiasticos benedicere et regere digneris.* Resp. *Te rogamus, audi nos.* Et tertio: *Ut hanc Sanctam Synodum, et omnes gradus Ecclesiasticos benedicere, regere, et conservare digneris.* Respondent: *Te rogamus, audi nos.* Et, procumbente iterum Pontifice, litania perficitur. Deinde surgunt omnes, et Pontifex versus ad Altare sine mitra dicit: *Oremus.* Diaconus a dextris: *Flectamus genua,* et Diaconus a sinistris: *Levate.* Et Pontifex: *Da, quaesumus, Ecclesiae tuae, misericors Deus, ut Spiritu Sancto congregata, hostili nullatenus incursione perturbetur, per etc. in unitate eiusdem etc.* Tum Diaconus petit benedictionem

pro Evangelio, et imponitur a Pontifice incensum more solito, et cantatur Evangelium competens rei, de qua agitur, cum luminaribus, et cerimoniis consuetis, et in fine Pontifex osculatur librum, et incensatur more consueto. Presbyter Cardinalis paratus cum pluviali servit Pontifici et de libro, et de navicula incensi, ac si Pontifex celebraret, finito Evangelio omnes sedent, et Pontifex patres hortatur verbis convenientibus ad facienda decreta, assignans rationes, cur ita sit faciendum; deinde surgens sine mitra, incipit hymnum: *Veni Creator Spiritus,* omnes genuflectunt, et ipse etiam, postquam inceperit, genuflectit procumbens super faldistorium, quousque primus versus perficiatur. Deinde omnes surgunt, et stant capitibus detectis cantores, et patres, si volunt, prosequuntur hymnum, in fine Pontifex dicit Versus: *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.* Resp. *Et renovabis faciem terrae.* Et Pontifex: *Oremus: Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, etc. per Dominum etc.* Demum duo cantores dicunt: *Benedicamus Domino. R. Deo gratias.* Quibus finitis, Diaconus legit decreta facienda, et rogat Patres, an ista placeant, qui incipiendo a Summo Pontifice respondent: *placet,* vel *non placet,* et Pronotarii Apostolici, Clerici Camerae, et alii tabularii rogati decreta notant, et in publicam formam redigunt, quae deinde bulla, ac sigillo Apostolico muniuntur: Evangelia mutantur in sessionibus secundum materias, quae tractantur. Si Romanus Pontifex non adesset, praesidens Concilii paratus cum sandaliis, Diacono, et Subdiacono omnia faceret, ut praedictum est, nisi ea, quae ad Summum Pontificem tantum spectant. Decreta legeret aliquis Praelatus, et literae signentur bulla Concilii. Decretis firmatis, omnes deponunt sacras vestes, et tum revertuntur domum, quemadmodum venere. Si Papa est praesens, decreta intitulantur hoc modo: MARTINUS *Episcopus servus servorum Dei, sacro approbante Concilio, et caetera,* ut in Constantiensi. Si autem abest Pontifex, sic scribitur, ut Basiliensis: *Sacrosancta generalis Synodus Basiliensis in Spiritu Sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, et universalem Ecclesiam repraesentans, etc.*

XXII. Declaratio cleri Gallicani a. 1682 *).

Ecclesiae Gallicanae decreta et libertates a maioribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta sacris Canonibus et Patrum traditione nixa, multi diruere moliuntur; nec desunt, qui earum obtentu primatum beati Petri eiusque Successorum Romanorum Pontificum a Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisque Apostolicae, in qua fides praedicatur, et unitas servatur Ecclesiae, reverendam omnibus gentibus maiestatem, imminuere non vereantur. Haeretici quoque nihil praetermittunt, quo eam potestatem, qua pax Ecclesiae continetur, invidiosam et gravem regibus et populis ostentent, iisque fraudibus simplices animas, ab Ecclesiae matris Christique adeo communione dissocient. Quae ut incommoda propulsemus, Nos Archiepiscopi et Episcopi, Parisiis mandato regio congregati, Ecclesiam Gallicanam repraesentantes, una cum caeteris Ecclesiasticis viris nobiscum deputatis, diligenti tractatu habito, haec sancienda et declaranda esse duximus:

I. Primum: beato Petro eiusque Successoribus Christi Vicariis ipsique Ecclesiae rerum spiritualium et ad aeternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, a DEO traditam potestatem, dicente Domino: *„Regnum meum non est de hoc mundo“* (Ioan. XVIII. 36.) et iterum: *„Reddite ergo, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt DEI DEO;“* (Luc. XX. 25.) ac proinde stare apostolicum illud: *„Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a DEO: quae autem sunt, a DEO ordinatae sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.“* (Rom. XIII. 1. 2.) Reges ergo et Principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati DEI ordinatione subiici, neque auctoritate clavium Ecclesiae, directe vel indirecte, deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia, ac praestito fidelitatis Sacramento solvi posse: eamque sententiam publicae tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiae quam imperio utilem, ut, verbo DEI, Patrum traditioni et Sanctorum exemplis consonam, omnino retinendam.

II. Sic autem inesse apostolicae Sedi ab Petri Successoribus Christi Vicariis rerum Spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctae oecumenicae Syn-

*) Vide Lehrbuch des Kirchenrechts §. 114.

odi Constantiensis a Sede apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiae usu confirmata, atque ab ecclesia Gallicana, perpetua religione custodita decreta de auctoritate Conciliorum generalium, quae sessione quarta et quinta continentur; nec probari a Gallicana Ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus, Concilii dicta detorqueant.

III. Hinc Apostolicae potestatis usum moderandum per Canones Spiritu DEI conditos et totius mundi reverentia consecratos: valere etiam regulas, mores et instituta a regno et ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem apostolicae Sedis, ut statuta et consuetudines tantae Sedis et ecclesiarum consensione firmatae, propriam stabilitatem obtineant.

IV. In fidei quoque quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes, eiusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit.

XXIII. Déclaration du clergé de France sur les libertés et franchises de l'église Gallicane an 1682*).

Plusieurs personnes s'efforcent de ruiner les décrets de l'Église gallicane, et ses libertés, que nos ancêtres ont soutenues avec tant de zèle, et de renverser leurs fondements, qui sont appuyés sur les saints canons et sur la tradition des Pères; d'autres, sous prétexte de les défendre, ont la hardiesse de donner atteinte à la primauté de saint Pierre et des pontifes romains ses successeurs, institués par Jésus-Christ, d'empêcher qu'on ne leur rende l'obéissance que tout le monde leur doit, et de diminuer la majesté du saint Siége apostolique, qui est respectable à toutes les nations où l'on enseigne la vraie foi de l'Église et qui conservent son unité. Les hérétiques, de leur côté, mettent tout en oeuvre pour faire paraître cette puissance, qui maintient la paix de l'Église, insupportable aux rois et aux peuples, et ils se servent de cet artifice afin de séparer les âmes simples de la communion de l'Église. Voulant donc remédier à ces inconvénients, nous, archevêques et évêques as-

*) Repeto editionem apud Pradié Question religieuse p. 389.

semblés à Paris par ordre du roi, avec les autres ecclésiastiques députés qui représentons l'Église gallicane, avons jugé convenable, après une mûre délibération, de faire les règlements et la déclaration qui suivent:

tur in instrumento ex speciali mandato Magni Ducis Badensis die vigesima tertia Decembris anni millesimi octingentesimi vigesimi confecto. Fundos vero dictus Ioannes Baptista Episcopus ita distribuet, ut ex iis obveniant quotannis Archiepiscopali mensae floreni tres decim mille quatuor centum, quibus addendo eas praestationes infra enarrandas, a tribus Cathedralibus Ecclesiis annuatim persolvendas eiusdem Friburgensis mensae Archiepiscopalis annui redditus erunt florenorum quatuordecim millium septingentorum et decem; Decano Capituli floreni quatuor mille; Primo ex Canonicis floreni bismille tercentum; cuilibet ex aliis quinque Canonicis floreni mille octingenti; unicuique demum ex sex Praebendatis floreni nongenti; Seminario insuper Dioecesano floreni viginti quinque mille; Fabricae Cathedralis Ecclesiae floreni quinque mille ducenti sexaginta quatuor; Cancellariae Archiepiscopali floreni termille; domibus denique Ecclesiasticorum emeritorum et demeritorum, vel iam existentibus, vel ab Ordinario, cuius iurisdictioni subdentur, erigendis, floreni octomille. Praeterea pro Archiepiscopi habitatione assignabit Palatium in civitate Friburgensi, foro Ecclesiae Metropolitanae adiacens, antea Statibus Provincialibus Brisgoviae destinatum, cum suis adnexis pertinentiis, atque horto ante portam civitatis, et pro habitatione tam Decani quam sex Canonicorum, et sex Praebendatorum alias domos in praedicto instrumento descriptas.

(XIV.) Episcopali Ecclesiae Moguntinae, firmis redditibus, et proventibus quibus actu gaudet, annuam tribuet summam viginti mille florenorum rhenensium percipiendam ex proventibus ac redditibus Praefecturae Moguntinae ad exigenda vectigalia redditusque Dominicos constitutae, solvendam quotannis praedictae Ecclesiae ea lege, ut memorata summa gaudeat iure hypothecae in bonis fundis et redditibus Dominicis eiusdem Praefecturae Moguntinae, utque huiusmodi dispositio firma, stabilis, et inconcussa maneat, donec ipsi Episcopo Ecclesiae Moguntinae praedia, et fundi, quorum fructus viginti millium florenorum summam annuatim producant, pleno iure ab ea possidenda, assignentur, prout expresse cavetur in instrumento ex speciali mandató Magni Ducis Hassiae et ad Rhenum die vigesima sexta Augusti anni millesimi octingentesimi vigesimi exarato. Hac autem summa viginti millium florenorum annuorum adiuncta redditibus, qui dotem modo exstantem Moguntinae Ecclesiae constituunt, tanquam supplementum dotationis, tota quantitas red-

dituum, quae inde exurget, ita a praefato Exequutore distribuenda erit, ut Episcopo florenorum octo millium, Vicario eius Generali florenorum bismille quingentorum, cuilibet ex sex Canonicis florenorum mille octingentorum; Primo vero ex quatuor Praebendatis nongentorum florenorum, et cuilibet ex aliis tribus octingentorum florenorum annuos redditus liberos praebeant. Haec tamen dispositio quoad Decanum, Canonicos, et Praebendatos suum non sortietur effectum, nisi cum Moguntinae Cathedralis Ecclesiae Canonicorum numerus ad senarium fuerit redactus, in quem finem decernimus, ut quatuor ex decem illius Capituli actualibus Praebendis primo quomodocunque vacaturae, aliis non conferantur, ad hoc ut idem Capitulum ex Decano, et sex Canonicis imposterum constet. Interea tamen decem viventes Canonici eosdem annuos redditus percipient, quos ante avulsam ac Spirensi Ecclesiae attributam portionem antiquae Moguntinae Dioecesis percipiebant, quique post novam circumscriptionem Dioecesium Territorii olim Galliarum per alias Nostras Literas sub plumbo datas tertio Calendas Decembris anni millesimi octingentesimi primi statutam illis attributi fuerunt. Quoad Praebendatos autem in Moguntina Ecclesia Cathedrali actu non existentes, quoniam eorum vice funguntur Presbyteri habentes redditus partim Praebendae ex officio fabricae minutae praesentiarum nomine nuncupatae, partim pensionum, quae a Gubernio solvuntur in praesens, hinc huiusmodi Presbyteri idem servitium cum dictis redditibus Cathedrali Ecclesiae praestare pergent, donec iis decedentibus, quatuor supra memoratae Praebendae, ex nunc pro tunc erigendae constitui possint cum supra enunciata dotatione annuorum florenorum nongentorum pro primo, et florenorum octingentorum pro quolibet ex aliis tribus Praebendatis. Pro Episcopi autem habitatione domus illa cum adiacente horte inserviet, qua huc usque gavisus fuit; idem peragendum erit tam pro praesentibus, quam pro futuris Canonicis, pro quorum habitatione iam assignatae reperiuntur decem domus, quarum quatuor hortos etiam habent adiacentes. Ad Fabricam Cathedralis Ecclesiae manutenendam, et ad sustinendos sumptus ad divinum cultum necessarios conservabuntur fundi, praedia, aliique redditus a praedicta Ecclesia ab antiquo possessa, quae ad annuam termille tercentorum triginta quinque florenorum summam pertingunt. Idem disponimus circa Seminarium Dioecesanum, quod, praevia suppressione Coenobii olim a religiosis viris Ordinis Fratrum Eremitarum Sti. Augustini in-

habitati, in ipso Coenobio cum adnexis Ecclesia atque horto stabiliter erigendum constituimus, ipsique assignandos decernimus annuos redditus partim ex antiquis eius fundis, anno millesimo octingentesimo sexto restitutis partim ex posterioribus dotationibus et legatis provenientes, ac termillium septingentorum florenorum summam constituentes, firma etiam recentissima et uberrima dotatione ipsius favore facta, nec non aliis inposterum forsan faciendis, quarum redditus eidem Seminario perpetuo erunt addicendi. Idem demum disponimus de Domo Emeritorum Pfaffenschwabenhemii existente, ac destinata fovendis, et sustentandis Clericis aut senio fessis aut morbo fractis, quam praevia suppressione Coenobii olim a Canonicis Regularibus Ordinis Sti. Augustini inhabitati, in huiusque Coenobii Fabrica constitui mandamus: et cuius dotatio annuam profert summam florenorum mille octingentorum viginti duorum, ultra ea, quae Subsidii Charitativi nomine veniunt collecta in parte antiquae Dioecesis Moguntinae, postea Ratisbonensis, quaeque solvi hucusque solita, non exigua capient incrementa.

(XV.) Fuldensis Ecclesia Episcopalis habebit agros, prata, et silvas, aliosque redditus annuam summam florenorum rhenensium viginti sex millium tercentum et septuaginta constituentes, prout latius describitur in instrumento ab antedicto Electore Hassiae sub die quarta decima Martii anni millesimi octingentesimi vigesimi primi confecto. Hanc autem dotationem praefatus Exequutor ita distribuet, ut Episcopo sex mille floreni, Decano Capituli bismille sexcenti floreni, unicuique ex quatuor Canonicis mille octingenti floreni, cuilibet ex quatuor Praebendatis octingenti floreni annuatim obveniant, Fabricae Cathedralis Ecclesiae duo florenorum millia, Seminario Dioecesano septem millia florenorum, et Archiepiscopo Friburgensi, tanquam Metropolitano, centum septuaginta floreni annuatim persolvantur. Insuper pro habitatione Episcopi, proque curia Episcopali, statuimus domum Cathedrali Ecclesiae proximam ad Montem Sti. Michaelis cum duobus adiacentibus hortis et pertinentiis suis, pro habitatione Decani, quatuor Canonicorum et quatuor Praebendatorum alias domos in memorato instrumento descriptas, ac denique pro Seminario aedificium proximum Cathedrali Ecclesiae, iam ad hunc usum destinatum, cum horto adiacente.

(XVI.) Rottenburgensis Ecclesia Episcopalis gaudebit redditibus singulatim descriptis in instrumento, ex speciali man-

dato antedicti Regis Wirtembergensis die decima Novembris anni millesimi octingentesimi vigesimi confecto, qui quidem ita a praedicto Exequutore dividendi erunt, ut Episcopali mensae decem mille floreni, Decano Capituli bismille quatuor centum floreni, unicuique ex sex Canonicis floreni mille octingenti, primo e sex Praebendatis floreni nongenti, cuilibet ex aliis quinque Praebendatis floreni octingenti, Fabricae Cathedralis Ecclesiae et manutentioni aliorum aedificiorum floreni mille quatuor centum, Seminario Dioecesano floreni octo mille nonginta duo, Cancellariae Episcopali floreni sex mille nongenti et sexdecim, Cathedrali Ecclesiae pro divini cultus expensis floreni bismille centum et quinquaginta, pro aedituo aliisque Ecclesiae inservientibus floreni octingenti, et Archiepiscopo Friburgensi, tamquam Metropolitano, octingenti sexaginta quatuor floreni annuatim obveniant. Quod si Decanus ad munus etiam Vicarii Generalis ab Episcopo eligatur, alii floreni mille et centum ipsi erunt persolvendi: si vero simplex Canonicus Capitularis ad praedictum Vicarii Generalis munus ab Episcopo designabitur, eidem florenorum mille septingentorum augmentum attribuetur. Praeterea pro habitatione Episcopi, proque Curia Episcopali, domum in civitate Rottenburgi versus vallem Nicari sitam, Praefecturae Regiae antea destinatam, cum adiacente horto, ac pertinentiis suis, pro habitatione Decani Capituli, sex Canonicorum, et sex Praebendatorum alias domos in praedicto instrumento pariter descriptas, nec non pro Seminario Episcopali praevia suppressione Conventus olim inhabitati a Fratribus Ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, domum ipsius quondam Coenobii ad Nicarum sitam in Seminarii Clericorum usum respective addici mandamus.

(XVII.) Episcopalis Ecclesia Limburgensis gaudebit bonis, fundis, censibus, decimis aliisque redditibus, annuam summam constituentibus viginti unius millium sexcentum sex florenorum, prout apparet ex instrumento de speciali mandato Ducis Nassoviae die tertia Ianuarii currentis anni millesimi octingentesimi vigesimi primi confecto, quae quidem redditus Exequutor praedictus ita distribuet, ut in singulos annos obveniant Episcopo floreni sex mille, Decano Capituli bismille quatuor centum floreni, primo Canonico, qui simul Parochus Limburgensis erit, floreni mille octingenti, secundo Canonico floreni pariter mille octingenti, tertio Canonico, qui simul erit Parochus Ecclesiae Dietkirchensis, floreni item mille octingenti, quarto Canonico,

qui simul Parochus erit in Alta Villa, floreni bismille tercentum, et quinto Canonico, simul Parocho in Libera Civitate Francofurtensi eiusque Territorio, ea ipsa Summa, quam uti Parochus actu iam percipit; super dictarum retentione Paroeciarum cum memoratis quatuor Canonicis Apostolica delegata auctoritate dispensando, cum hoc tamen quod curae animarum Paroeciarum huiusmodi per idoneos Vicarios ab Ordinario, servatis servandis, ad formam Canonicarum Sanctionum approbandos et instituendos opportune provideatur; primo Sacellano, qui Canonicum Parochum Limburgensem in animarum cura adiuvabit, floreni octingenti, secundo Sacellano, cui Missas in Sacello Stochii Limburgensis satisfacere incumbet, floreni octingenti, Archiepiscopo Friburgensi, uti Metropolitano, pro rata augmenti eius dotationis biscentum septuaginta floreni, Seminario intra Provinciam constituto, vel constituendo pro Clericorum Limburgensis Dioecesis educatione, et instructione floreni mille quingenti, Cancellariae denique Episcopali, ac pro caeteris sumptibus administrationis tam Ecclesiasticae, quam bonorum floreni bismille centum triginta. Pro Episcopi praeterea habitatione praevia suppressione Monasterii seu Coenobii, olim a Fratribus Ordinis Sti. Francisci inhabitati, partem ipsius Monasterii, quam hucusque obtinuit Praefectus Ducalis cum finitimo horto muris septo, pro Decano vero, quinque Canonicis, et duobus Sacellanis, alias domos in praedicto instrumento descriptas, respective assignandas decernimus.

(XVIII.) Antedicto insuper Ioanni Baptistae Episcopo iniungimus, ut animarum curae in Metropolitana et Cathedralibus Ecclesiis opportune consulat, statuatque a quibus Presbyteris, praevio concursu, ad normam Canonicarum Sanctionum, a respectivo Ordinario adprobandis ac instruendis, et qua cum congrua dotatione in Ecclesiis ipsis debeat exerceri: utque designet in quod Seminarium provinciae Ecclesiasticae Friburgensis Clerici Dioecesis Limburgensis recipi valeant, cum assignatione annua supradictorum mille quingentorum florenorum usque dum proprium Limburgense Seminarium erigatur; atque ut ulterius summam determinet a respectivis Principibus Territorialibus subministrandam, qua divini cultus impensis in suppressis tam Episcopali Constantiensi, quam Praepositurali Elvacensi Ecclesiis opportune, ac stabiliter provideatur, ac demum curet, quod suppressorum Capitulorum actu existentibus Canonicis annua praestatio ad eorum vitam integre ac fideliter persolvatur.

(XIX.) Ad consulendum praeterea respectivorum Dioecesanorum bono et commoditati praescribimus, ut omnia et singula documenta respicientia Paroecias, et loca ab antiquis Dioecesibus dismembrata, novisque applicata, a veteribus Cancellariis extrahantur, atque opportuna forma tradantur novis Archiepiscopali et Episcopalibus respective Cancellariis, in quibus perpetuo erunt asservanda.

(XX.) Habita vero ratione reddituum, supra memoratis Archiepiscopali et Episcopalibus Ecclesiis respective assignatorum in libris Camerae Apostolicae, prout sequitur nempe Ecclesiam Friburgensem in florenis sexcentum sexaginta octo cum uno tertio, Ecclesiam Moguntinam in florenis tercentum quadraginta octo cum uno sexto, Ecclesiam Fuldensem in florenis tercentum triginta duobus, Ecclesiam Rottenburgensem in florenis quatuor centum nonaginta, et Ecclesiam Limburgensem in florenis tercentum triginta duobus taxari mandamus.

(XXI.) Atque ut cuncta a Nobis, ut supra, disposita, rite ad exitum producantur, supradicto Ioanni Baptistae Episcopo Evariensi, harum Literarum Exequutori deputato, omnes et singulas ad huiusmodi effectum necessarias et opportunas concedimus facultates, ut praeviis respectivis dotationibus, per instrumenta in valida diversorum statuum forma exaranda, ad uniuscuiusque Ecclesiae cum suo Capitulo sive erectionem, sive novam ordinationem, ac respectivi Territorii Dioecesani circumscriptionem procedere, cunctaque alia, ut supra ordinata peragere ac statuere, delegata sibi Apostolica auctoritate libere, ac licite possit, et valeat; atque ulterius ipsi Ioanni Baptistae Episcopo facultatem pariter tribuimus, ut ad plenam rerum omnium in locis praesertim ab eius residentia remotis, executionem unam, seu plures personam, vel personas in dignitate Ecclesiastica constitutam, vel constitutas subdelegare, et tam ipse Ioannes Baptista, quam persona, vel personae ab eo sic subdeleganda, vel subdelegandae super quacumque oppositione, in actu executionis huiusmodi quomodolibet forsan oritura, servatis tamen de iure servandis, etiam definitive, et quacumque appellatione remota pronuntiare libere, item ac licite possint, et valeant, ac quilibet eorum respective possit, et valeat. Eidem porro Ioanni Baptistae Episcopo expresse iniungimus, et mandamus, ut exempla singulorum actorum tam per se, quam per subdelegatos suos in harum Literarum executionem conficiendorum intra quadrimestre ab expleta ipsarum executione ad Apostolorum Se-

dem in authentica forma transmittat, in Archivio praedictae Congregationis Consistorialis de more asservanda.

(XXII.) Praesentes autem Literas, et in eis contenta, ac Statuta quaecumque etiam ex eo, quod quilibet in praemissis vel eorum aliquo ius, aut interesse habentes, vel quomodolibet etiam in futurum habere praetendentes cuiusvis status, ordinis, conditionis, et praeeminentiae, ac speciali quoque, specifica, expressa et individua mentione digni sint, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad praemissa minime vocati, vel etiam non satis, aut nullimodo auditi fuerint, sive ex alia qualibet iuridica, privilegiata, ac privilegiatissima causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu quantumvis magno, et substantiali, sive etiam ex eo, quod solemnitates, et quaecunque alia forsan servanda, et adimplenda in praemissis minime servata et adimpleta, seu causae, propter quas praesentes emanaverint, non sufficienter adductae, verificatae, et iustificatae fuerint, notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, vel in controversiam vocari, sive adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris, facti, vel iustitiae remedium impetrari, aut sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, limitationibus, modificationibus, decretis, ac declarationibus generalibus, vel specialibus quomodolibet factis minime posse comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse, et fore, ac tamquam ex Pontificiae Providentiae Officio, certa scientia, et potestatis plenitudine Nostris factas, et emanatas perpetuo validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et quomolibet spectabit in futurum perpetuo, inviolabiliter observari, ac supradictarum Ecclesiarum Episcopis, et Capitulis, aliisque, quorum favorem praesentes Nostrae Literae concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, eosdemque super praemissis omnibus, et singulis, vel illorum causa ab aliquibus quavis auctoritate fungentibus quomodolibet molestari perturbari, inquietari, vel impediri, nec ad probationem, seu verificationem quorumcunque in iisdem praesentibus narratorum unquam teneri, neque ad id in iudicio, vel extra cogi, seu compelli posse, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum

et prorsus inane esse, ac fore volumus atque decernimus. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes vocatis quorum interest, aliisque Nostris, et Cancellariae Apostolicae regulis, nec non Ecclesiarum etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, privilegiis, et indultis, quamvis specifica, et individua mentione dignis, omnibusque et singulis Apostolicis, ac in synodalibus provincialibus, et universalibus conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus, quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro insertis habentes, ad praemissorum effectum latissime, ac plenissime, specialiter et expresse scientia, et potestatis plenitudine pariter derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque.

(XXIII.) Volumus insuper, ut praesentium literarum Transsumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus, adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, annullationis, reordinationis, erectionis, dismembrationis, unionis, aggregationis, applicationis, concessionis, indulti, circumscriptionis, assignationis, attributionis, statuti, commissionis, deputationis, mandati, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo vigesimo primo, decimo septimo Calendas Septembris, Pontificatus Nostri anno vigesimo secundo.

Loco † Plumbi.

LVI. Bulla erectionis Dioecesium Provinciae Ecclesiasticae superioris Rheni d. 11. April. 1827.

Leo Episcopus, Servus Servorum Dei.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Ad Dominici Gregis custodiam Pastores praeficere, qui et sacrorum procuratione et ministerio Verbi in semitis illum regant iustitiae, ac salutis maxima semper assiduaque contentione,

Romani Pontifices adnisi sunt, probe gnari, id sibi ex muneris sui Officio a Pastorum Principi inprimis commendari. Hoc proinde consilio pro summo, quo in Ecclesiae bonum flagrabat studio, felicis Recordationis, Praedecessor Noster Pius septimus maxime sibi religioni duxit, intentas in eos Orthodoxae fidei cultores sollicitudines convertere, qui Serenissimorum Principum, Statuumque Germaniae, Regis nempe Wirtembergiae, Magni Ducis Badensis, Electoris Hassiae, Magni Ducis Hassiae, Ducis Nassoviensis, Liberae Civitatis Francofurtensis, Magni Ducis Megalopolitani, Ducum Saxoniae, Ducis Oldenburgensis, Principis Waldeccensis, ac Liberam Civitatum Hanseaticarum Lubecensis et Bremensis, Dominationi subsunt; ac proinde diligentissime iis omnibus perpensis, quae magis ex re esse visa sunt, praesides sacrorum, iisdem assignandos, curavit. Datis idcirco ad diem septimam Calendas Septembris anno millesimo octingentesimo vigesimo Apostolicis Literis, quarum initium „Provida Solersque“ Archiepiscopalis Friburgensis sedes, eiusque suffraganeae quatuor, Rottenburgensis nimirum, Moguntina, Limburgensis, ac Fuldensis constitutae sunt, cunctis opportune in id operis sancitis, quae ad Antistitum Censum, ad Canonicorum Collegia, ad Seminaria, ad Paroecias, ad Cathedrales aedes erant praefinienda. Quin imo bene iuvante qui Pater est luminum et Auctor totius consolationis, in eo iam sumus, ut iis sedibus suos quam primum Pastores praeficiamus. Verum nonnulla adhuc concilianda desiderabantur, quibus in futura tempora de Antistitum praesertim electione opportuna pro locorum ratione esset consultum, ut integra in id causae perstent Apostolicae Sedis iura, et omnia quae idcirco erunt ibidem peragenda communis opinionis testimonio commendentur. Nostras in id curas impense appulimus, id unice in gravissimo hoc et difficili negotio revolventes animo, ut ea omnia adimerentur, quibus adhuc praepediuntur maxima Animarum lucra per memoratae Bullae dispositiones procurata, et optatum exitum tandem nanciscantur, quae in Religionis commodum fuerunt constituta. Omni itaque negotii ratione in examen deducta, iisque susceptis consiliis, quae ex rei natura eiusque adiunctis universis occurrerunt, auditis nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine haec, quae sequuntur, decernimus, ac mandamus.

(I.) Primo: Quotiescumque sedes Archiepiscopalis, vel

Episcopalis vacaverit, illius Cathedralis Ecclesiae Capitulum intra mensem a die vacationis computandum Summos respectivi Territorii Principes certiores fieri curabit de nominibus Candidatorum ad Clerum Dioecesanum spectantium, quos dignos et idoneos iuxta Sacrorum Canonum praescripta iudicaverit ad Archiepiscopalem vel Episcopalem Ecclesiam sancte sapienterque regendam; si forte vero aliquis ex Candidatis ipsis summo Territorii Principi minus gratus exstiterit, Capitulum e catalogo eum delebit, reliquo tamen manente sufficienti Candidatorum numero, ex quo novus Antistes eligi valeat; tunc vero Capitulum ad canonicam electionem in Archiepiscopum, vel Episcopum unius ex Candidatis, qui supererunt, iuxta consuetas canonicas formas procedet, ac documentum electionis in forma authentica infra mensem ad Summum Pontificem perferri curabit.

(II.) Secundo: Confectio Processus informativi super qualitatibus Promovendorum ad Archiepiscopalem vel Episcopales Ecclesias a Romano Pontifice ad formam instructionis piae memoriae Urbani P. P. octavi iussu editae uni Episcoporum Provinciae vel Ecclesiastico respectivae Dioecesis viro in Dignitate constituto committetur, quo accepto si Summus Pontifex compererit Promovendum iis dotibus instructum, quas sacri Canones in Episcopo requirunt, eum, quantocitius fieri poterit, iuxta statutas canonicas formas per Apostolicas Literas confirmabit.

(III.) Tertio: Si vero aut electio minime fuerit canonice peracta, aut promovendus praedictis dotibus instructus non reperiatur, ex speciali gratia Summus Pontifex indulgebit, ut Capitulum ad novam electionem, ut supra, canonica methodo valeat procedere.

(IV.) Quarto: Capitula, tam Metropolitanum, quam Cathedralia pro prima vice eo, qui sequitur, modo efformabuntur. Postquam Archiepiscopus, vel Episcopus respective Sanctae Sedis auctoritate fuerint instituti, eis a Summo Pontifice committetur, ut eiusdem Summi Pontificis nomine ad nominationem Decani, Canonicorum, vel Vicariorum Capituli procedant, iisque dent canonicam institutionem. Deinceps vero quotiescumque Decanatus, aut Canonicatus, vel Vicariatus vacaverint, Archiepiscopus, vel Episcopus cum respectivo Capitulo alternis vicibus intra sex hebdomades a die vacationis proponent Summo Territorii Principi quatuor Candidatos in sacris ordinibus constitutos iisque praeditos qualitatibus, quas sacri Canones in Capitularibus requirunt. Quod si forte aliquis ex ipsis Candidatis

Summo Territorii Principi minus sit gratus, id quamprimum Archiepiscopo, vel Episcopo vel respectivo Capitulo idem summus Princeps indicari curabit ut ab Elencho Candidatorum deleatur; tunc vero Archiepiscopus aut Episcopus ad collationem Decanatus, Canonicatus, aut Praebendae, vel Vicariae, seu respective Capitulum intra quatuor hebdomades procedet ad nominationem unius ex reliquis Candidatis, cui Archiepiscopus, aut Episcopus canonicam dabit institutionem.

(V.) Quinto: In Seminario Archiepiscopali vel Episcopali is Clericorum numerus ali, atque ad formam Decretorum Sacri Concilii Tridentini institui, ac educari debebit, qui Dioecesis amplitudini et necessitati respondeat, quique ab Episcopo congrue erit definiendus.

(VI.) Sexto: Liberum erit, cum Sancta Sede de negotiis Ecclesiasticis communicare, atque Archiepiscopus in sua Dioecesi et Provincia Ecclesiastica, uti et Episcopi in propria quisque Dioecesi pleno iure Episcopalem iurisdictionem exercebunt, quae iuxta Canones nunc vigentes et praesentem Ecclesiae disciplinam eisdem competit.

(VII.) Haec porro, quae tenore praesentium Apostolicae Sanctionis robore communimus, districte mandamus, ut Antistites ac Capitula memoratarum sedium in iis, quad ad ipsos spectant, accurate ac diligenter exequantur, et servent. Id vero et ab Serenissimis Principibus certa iucundaque spe praestolamur, ut animo, quo sunt magno et excelso atque ad populorum felicitatem operandam intento animadvertentes, quonam Nostra toto hoc in negotio sese protulerit indulgentia, benevolos se in dies magis praebeant erga Catholicos subditos, quos certe et fide, et obsequio, et obediendi sudio sibi quamque maxime devinctissimos tempore quolibet nanciscentur.

(VIII.) Decernentes easdem praesentes Literas nullo unquam tempore de subreptionis et obreptionis, aut nullitatis vitio notari, aut impugnari posse, sed semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, non obstantibus Apostolicis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac nostris ac Cancellariae Apostolicae regulis praesertim de iure quaesito non tollendo caeterisque etiam speciali mentione dignis contrariis quibuscumque. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum duntaxat specialiter et expresse derogamus. Volumus insuper, ut praesentium Lite-

rarum transsumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis, adprobationis, derogationis, statuti, mandati, et voluntatis infringere, vel ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo vigesimo septimo, tertio idus Aprilis, Pontificatus Nostri anno quarto.

Loco † Plumbi.

LVII. Reception der beiden Bullen.

Von Gottes Gnaden Wir Wilhelm II., Kurfürst und souverainer Landgraf von Hessen etc.

Da die päpstliche Bulle vom 16. Aug. 1821, welche mit den Worten: „Provida solersque“ und jene vom 11. April 1827, welche mit den Worten: „Ad dominici gregis custodiam“ beginnt, soweit solche die Bildung der oberrheinischen Kirchen-Provinz, die Begrenzung, Ausstattung und Einrichtung der dazu gehörenden fünf Bisthümer mit ihren Kapiteln, so wie die Besetzung des erzbischöflichen Stuhls, der bischöflichen Stühle und der Stellen am Domstifte zum Gegenstande haben, von Uns angenommen worden sind, und Unsere landesherrliche Genehmigung erhalten haben, ohne dass jedoch aus denselben auf irgend eine Weise jemals etwas abgeleitet oder begründet werden dürfte, was Unsern Hoheitsrechten Eintrag thun könnte, oder den Landesgesetzen und Verordnungen, den erzbischöflichen und bischöflichen Befugnissen, oder den Gerechtsamen der evangelischen Confession und Kirche entgegen wäre, so gestatten Wir die Bekanntmachung dieser Bullen in allen katholischen Kirchen Unserer Lande, und verweisen zugleich wegen deren Vollziehung auf die deshalb ergehenden weiteren Anordnungen.

Urkundlich Unserer allerhöchst eigenhändigen Unterschrift und des beigedruckten Staats-Siegels, geschehen zu Wilhelmshöhe den 31. August 1829.

(L. S.) Wilhelm, Kurfürst.

(Gleiche Erlasse, fast mit denselben Worten, geschahen in Nassau m 9. October, im Grossherzogthum Hessen am 12. October, im Grossherzogthum Baden am 16. October, im Königreiche Würtemberg am 24. October 1827.)

LVIII. Bekanntmachung mehrerer bei der oberrheinischen Kirchenprovinz betheiligten Regierungen vom 30. Januar 1830, das landesherrliche Schutz- und Aufsichtsrecht über die katholische Kirche betreffend.

§. 1. Der katholischen Kirche steht das freie Bekenntniss ihres Glaubens und die öffentliche Ausübung ihres Kultus zu, und sie geniesst auch in dieser Hinsicht mit den andern, im Staate öffentlich anerkannten christlichen Kirchengesellschaften gleiche Rechte.

§. 2. Der volle Genuss dieser Rechte steht allen katholischen Kirchengemeinden, so wie auch den einzelnen Katholiken zu, welche seither in keinem Diöcesanverbande standen. Es kann in keinem der oben erwähnten Bisthümer irgend eine Art von kirchlicher Exemtion künftig stattfinden.

§. 3. Jeder Staat übt die ihm zustehenden unveräusserlichen Majestätsrechte des Schutzes und der Oberaufsicht über die Kirche in ihrem vollen Umfange aus.

§. 4. Die von dem Erzbischof, dem Bischof und den übrigen kirchlichen Behörden ausgehenden allgemeinen Anordnungen, Kreisschreiben an die Geistlichen und Diöcesanen, durch welche dieselben zu etwas verbunden werden sollen, so wie auch besondere Verfügungen von Wichtigkeit, unterliegen der Genehmigung des Staats und können nur mit der ausdrücklichen Bemerkung der Staatsgenehmigung (Placet) kund gemacht oder erlassen werden. Auch solche allgemeine kirchliche Anordnungen und öffentliche Erlasse, welche rein geistliche Gegenstände betreffen, sind den Staatsbehörden zur Einsicht vorzulegen, und kann deren Kundmachung erst alsdann erfolgen, wenn dazu die Staatsbewilligung ertheilt worden ist.

§. 5. Alle römischen Bullen, Breven und sonstigen Erlasse müssen, ehe sie kund gemacht und in Anwendung gebracht werden, die landesherrliche Genehmigung erhalten, und selbst für angenommene Bullen dauert ihre verbindende Kraft und ihre Gültigkeit nur so lange, als nicht im Staate durch neue

Verordnungen etwas Anderes eingeführt wird. Die Staatsgenehmigung ist aber nicht nur für alle neu erscheinenden päpstlichen Bullen und Konstitutionen, sondern auch für alle früheren päpstlichen Anordnungen nothwendig, sobald davon Gebrauch gemacht werden will.

§. 6. Eben so, wie die weltlichen Mitglieder der katholischen Kirche, stehen auch die Geistlichen, als Staatsgenossen, unter den Gesetzen und der Gerichtsbarkeit des Staats.

§. 7. Die Bisthümer Freiburg, Mainz, Fulda, Rottenburg und Limburg stehen in einem Metropolitanverbande und bilden die oberrheinische Kirchenprovinz. Da die erzbischöfliche Würde auf den bischöflichen Stuhl zu Freiburg bleibend übertragen ist, so steht der dortige Bischof der Provinz als Erzbischof vor, und derselbe hat sich, bevor er in seine Amtsverrichtungen eintritt, gegen die Regierungen der vereinten Staaten in der Eigenschaft als Erzbischof eidlich zu verpflichten.

§. 8. Die ihrer Bestimmung gemäss wieder hergestellte Metropolitanverfassung und die Ausübung der dem Erzbischof zukommenden Metropolitanrechte stehen unter dem Gesammtschutze der vereinten Staaten.

§. 9. Provinzialsynoden können nur mit Genehmigung der vereinten Staaten, welche denselben Kommissäre beiordnen, gehalten werden. Zu den abzuhaltenden Synodalkonferenzen wird der Erzbischof, so wie jeder Bischof, mit Genehmigung der Regierungen, einen Bevollmächtigten absenden.

§. 10. In keinem Falle können kirchliche Streitigkeiten der Katholiken ausserhalb der Provinz und vor auswärtigen Richtern verhandelt werden. Es wird daher in dieser Beziehung in der Provinz die nöthige Einrichtung getroffen werden.

§. 11. Die fünf Bisthümer der oberrheinischen Kirchenprovinz sind, in Gemässheit der festgesetzten Regel, gebildet, dass sich die Gränzen der Diöcesen auf die Gränzen der Staaten, für welche Bisthümer errichtet sind, erstrecken.

§. 12. Eine jede Diöcese wird in Dekanatsbezirke eingetheilt, deren Umfang, so viel thunlich, mit jenen der Verwaltungsbezirke übereinstimmen soll.

§. 13. Die Katholiken, welche seither in keinem oder mit einem Geistlichen anderer Konfession im Pfarrverbande standen, werden einer der im Bisthum bestehenden Pfarreien zugetheilt.

§. 14. Die bischöflichen Stühle in der Provinz, so wie die

Stellen der Domkapitularen, werden sämmtlich durch die nach der vorgeschriebenen Form vorzunehmende Wahl besetzt.

§. 15. Zum Bischof kann nur ein Geistlicher gewählt werden, welcher ein Deutscher von Geburt und Staatsbürger des Staats, worin sich der erledigte Bischofssitz befindet, oder eines der Staaten ist, welche sich zu dieser Diöcese vereinigt haben. Nebst den vorgeschriebenen kanonischen Eigenschaften ist erforderlich, dass derselbe entweder die Seelsorge, ein akademisches Lehramt oder sonst eine öffentliche Stelle mit Verdienst und Auszeichnung verwaltet habe, so wie auch der inländischen Staats- und Kirchenverfassung, der Gesetze und Einrichtungen kundig sey.

§. 16. Der Gewählte hat sich alsbald nach der Wahl wegen der Konfirmation an das Oberhaupt der Kirche zu wenden.

Vor der Konsekration legt derselbe, in der Eigenschaft als Bischof, den Eid der Treue und des Gehorsams in die Hände des Landesherrn ab.

§. 17. Nach erlangter Konsekration tritt der Bischof in die volle Ausübung der mit dem Episkopat verbundenen Rechte und Pflichten, und die Regierungen werden nicht zugeben, dass er darin gehindert werde, vielmehr werden sie ihn kräftig dabei schützen.

§. 18. Diöcesansynoden können vom Bischof, wenn sie nöthig erachtet werden, nur mit Genehmigung des Landesherrn zusammen berufen und im Beiseyn landesherrlicher Kommissarien gehalten werden. Die darin gefassten Beschlüsse unterliegen der Staatsgenehmigung, nach Massgabe der in den §§. 4. und 5. festgesetzten Bestimmungen.

§. 19. Nur der Erzbischof, Bischof und der Bisthumsverweser stehen in allen, die kirchliche Verwaltung betreffenden Gegenständen in freier Verbinduug mit dem Oberhaupte der Kirche, jedoch müssen dieselben die aus dem Metropolitanverbande hervorgehenden Verhältnisse jeder Zeit berücksichtigen. Alle übrigen Diöcesangeistlichen haben sich in allen kirchlichen Angelegenheiten an den Erzbischof (Bischof) zu wenden.

§. 20. Zu Domkapitularstellen können nur Diöcesangeistliche gelangen, welche Priester, dreissig Jahre alt und tadellosen Wandels sind, vorzügliche theologische Kenntnisse besitzen, entweder die Seelsorge, ein akademisches Lehramt oder sonst eine öffentliche Stelle mit Auszeichnung verwaltet haben und mit der Landesverfassung genau bekannt sind.

§. 21. Das Domkapitel einer jeden Kathedralkirche tritt in den vollen Wirkungskreis der Presbyterien und bildet unter dem Bischof die oberste Verwaltungsbehörde der Diöcese; die Verwaltungsform ist kollegialisch, der Dekan führt die Direktion.

§. 22. Taxen oder Abgaben, von welcher Art sie auch seyn und wie sie auch Namen haben mögen, dürfen weder von inländischen noch ausländischen Behörden erhoben werden.

Die Erhebung von Expeditionsgebühren hängt in jedem Staate von der landesherrlichen Bestimmung ab.

§. 23. Die Dekanate werden unter gemeinschaftlichem Einverständnisse der Regierungs- und bischöflichen Behörden mit würdigen Pfarrern, welche auch in Verwaltungsgeschäften geübt sind, besetzt.

§. 24. Die Dekane sind unmittelbare kirchliche Vorgesetzte der in ihren Dekanatsbezirken angestellten Geistlichen. Sie haben über die geeigneten Gegenstände an die Regierungs- und bischöflichen Behörden zu berichten und die ihnen von daher zugehenden Weisungen zu vollziehen.

Eine eigene Instruktion zeichnet ihnen den Kreis ihrer Amtswirksamkeit vor.

§. 25. Ein jeder der vereinten Staaten wird, wo dieses nicht bereits stattfindet, für die zweckmässige Bildung der Kandidaten des katholischen geistlichen Standes dadurch sorgen, dass entweder eine katholisch-theologische Lehranstalt errichtet und als Fakultät mit der Landesuniversität vereinigt werde, oder dass die Kandidaten, nöthigenfalls aus dem allgemeinen katholischen Kirchenfonds der Diöcese unterstützt werden, um eine auf diese Art eingerichtete Universität in der Provinz besuchen zu können.

§. 26. Die Kandidaten des geistlichen Standes werden, nach vollendeten theologischen Studien, im Priesterseminar zum Praktischen der Seelsorge ausgebildet, und zwar in so weit unentgeldlich, als die in den Dotationsurkunden für die Seminarien angesetzten Summen zureichen.

§. 27. In das Seminar werden nur diejenigen Kandidaten aufgenommen, welche in einer durch die Staats- und bischöflichen Behörden gemeinschaftlich vorzunehmenden Prüfung gut bestanden und zur Erlangung des landesherrlichen Tischtitels, der ihnen unter obiger Voraussetzung ertheilt wird, würdig befunden worden sind.

§. 28. Der landesherrliche Tischtitel gibt die urkundliche

Versicherung, dass im eintretenden Falle der nicht verschuldeten Dienstunfähigkeit der dem geistlichen Stande angemessene Unterhalt, wofür ein Minimum von jährlich 300 bis 400 fl. festgesetzt wird, so wie die besondere Vergütung für Kur- und Pflegekosten, subsidiarisch werde geleistet werden. Von dem Titulaten kann nur dann ein billiger Ersatz gefordert werden, wenn er in bessere Vermögensumstände kommt oder in der Folge eine Pfründe erhält, welche mehr als die Kongrua abwirft.

§. 29. In jeder Diöcese wird jährlich von einer durch die Staats- und bischöflichen Behörden gemeinschaftlich anzuordnenden Kommission eine Konkursprüfung mit denjenigen Geistlichen vorgenommen, welche zu einer Pfarrei oder sonst einer Kirchenpfründe befördert zu werden wünschen. Zu dieser Prüfung werden nur Geistliche zugelassen, welche wenigstens zwei Jahre lang in der Seelsorge als Hülfspriester angestellt waren und gute Zeugnisse ihrer Vorgesetzten über ihren Wandel vorlegen.

§. 30. Die in Folge dieser Prüfung sich ergebende Klassifikation wird bei künftigen Beförderungen des Geprüften berücksichtigt.

§. 31. Eben so wird eine Klasseneintheilung der Pfarreien und sonstigen Kirchenpfründen, nach dem Grade ihrer Wichtigkeit und ihres Ertrags gefertigt, damit auch die Patronen, welche nur Diöcesangeistliche präsentiren können, ihre Auswahl hiernach einzurichten vermögen.

§. 32. Kein Geistlicher kann zu gleicher Zeit zwei Kirchenpfründen, deren eine jede die Kongrua erträgt, besitzen, von welcher Art sie auch seyen, und unter welchem Vorwande es auch geschehen wolle. Ein jeder muss an dem Sitze seiner Pfründe wohnen und kann sich nur mit Erlaubniss auf einige Zeit von derselben entfernen.

§. 33. Kein Geistlicher kann, ohne Einwilligung seines Landesherrn, Würden, Pension, Orden oder Ehrentitel von Auswärtigen annehmen.

§. 34. Jeder Geistliche wird, bevor er die kirchliche Institution erhält, dem Oberhaupte des Staats den Eid der Treue ablegen, dem Bischof aber den kanonischen Gehorsam geloben.

§. 35. Der Staat gewährt den Geistlichen jede zur Erfüllung ihrer Berufsgeschäfte erforderliche gesetzliche Unterstützung und schützt sie in dem Genusse der ihrer Amtswürde gebührenden Achtung und Auszeichnung.

§. 36. Den Geistlichen, so wie den Weltlichen, bleibt, wo immer ein Missbrauch der geistlichen Gewalt gegen sie stattfindet, der Rekurs an die Landesbehörden.

§. 37. Die Verwaltungsweise der für den bischöflichen Tisch, das Domkapitel und Seminar angewiesenen Dotationen, so wie des dem Erzbischof bestimmten Beitrags, wird jeder Staat nach seiner Verfassung und den hierüber bestehenden Vorschriften anordnen.

§. 38. Die Güter der katholischen Kirchenpfründen, so wie alle allgemeinen und besonderen kirchlichen Fonds werden unter Mitaufsicht des Bischofs, in ihrer Vollständigkeit erhalten und können auf keine Weise zu andern als katholischen kirchlichen Zwecken verwendet werden. Die Kongrua der Pfarrpfründen soll, wo diese weniger als 600 Gulden ertragen, nach und nach auf diese Summe erhöht werden. Die Verwaltung der niedern Kirchenpfründen wird in den Händen der Nutzniesser, welche sich hierbei nach den in jedem Staate bestehenden Vorschriften zu richten haben, gelassen.

§. 39. In jedem der vereinten Staaten wird, sobald es thunlich ist, ein allgemeiner katholischer Kirchenfonds gebildet, aus welchem solche katholisch-kirchliche Bedürfnisse aushülfsweise zu bestreiten sind, zu deren Befriedigung Niemand eine gesetzliche Verbindlichkeit hat oder keine Mittel vorhanden sind.

LIX. Literae Apostolicae ad episcopos Provinciae Ecclesiasticae superioris Rheni d. 30. Iun. 1830.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopo Friburgensi, et Episcopis Moguntino, Rottemburgensi, Limburgensi et Fuldensi.
Pius P. P. VIII.

Venerabiles Fratres, Salutem etc.

(I.) Pervenerat non ita pridem tristis ad aures Nostras rumor, hostes Ecclesiae Catholicae nova non pauca contra sanam doctrinam atque ipsius Ecclesiae constitutionem callide, neque irrito conatu in istis Provinciae Rhenanae regionibus moliri. Incertis adhuc huiusmodi vocibus ut fidem adiungeremus, adduci ab initio non poteramus, praesertim, cum nihil Nobis esset per Vos indicatum, quorum omnino fuisset de tanta re ac tam gravi Nos diligenter admonere, nedum vigilare acriter ad salutem Dioecesium Vestrarum, ac non modo errores, sed omne etiam

erroris periculum, ipsamque suspicionem avertere. Vero summo cum dolore, nec sane minore cum admiratione rationis vestrae frustra fuisse spem Nostram, ipsa iam re declaratum est. Quod enim privatim relatum erat, id iam publicis etiam litteris nunciatur, ac gravissimis confirmatur certissimisque testimoniis, ut persuasum habere Nobis necesse fuerit, novas res isthuc inductas falsis innixas erroneisque principiis, utpote quae doctrinae ac legibus adversentur Ecclesiae Christi, aperteque ad perniciem spectent animarum, ferri in eadem Ecclesia nullo modo posse.

(II.) Libera est institutione divina, nullique obnoxia terrenae potestati intemerata Sponsa immaculati Agni Christi Iesu. At per profanas illas novitates in probrosam redigitur miserrimamque servitutem, dum laicae potestati libera datur facultas, Synodos dioecesanas confirmandi vel rejiciendi, Dioeceses dividendi, initiandos sacris Ordinibus Ministros et Ecclesiasticis muneribus praeficiendos seligendi; regimen praeterea illi attribuitur religiosae et moralis institutionis ac disciplinae; ipsa etiam Seminaria atque alia eiusmodi quomodocunque spirituale Ecclesiae regimen attingant, arbitrio committuntur laicorum, impeditis adeo fidelibus, ne cum summo illius capite communicare libere possint, utut ea communicatio ad ipsius Ecclesiae Catholicae constitutionis naturam, essentiamque pertineat, nec intercipi illa possit, quin fideles opportuno ac necessario animabus suis auxilio destituti in apertum aeternae salutis discrimen adducantur.

(III.) At eo saltem uti solatio Nobis liceret, quod, pro gravissimi Officii Vestri munere, omnis adhibita a Vobis fuisset diligentia, ut commissos curae Vestrae fideles de manifestis principiorum illorum erroribus edoceretis, ac de insidiis admoneretis, quae initis huiusmodi consiliis, coeptisque parabantur. Vestrum enim omnino erat, ea sedulo praestare, quae tanta verborum gravitate Paulus Apostolus Timotheo discipulo suo et eius persona Episcopis omnibus inculcat, cum ait: „Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina: erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus. . . . Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple.“ Vestrum erat, vocem tollere pastoralem, ita ut errantium castigatio esset simul fraeno ac timori vacillantibus, iuxta illud eiusdem Apostoli: Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant. Deni-

que Vestrum erat, exemplum imitari Apostolorum, qui silentium indicentibus evangelica libertate responderunt: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.

(IV.) Verum dissimulandum Nobis non est, Venerabiles Fratres, quantis prematur angustiis cor Nostrum, ex eo etiam, quod accepimus, fuisse aliquem e vestro numero, qui tantum abest, ut Ecclesiae Catholicae eiusque doctrinae defensor exsterit repugnans novitatibus et erroribus, et concreditos curae suae fideles monitis moniens praeceptisque salutaribus, ut etiam novitatibus illis, ac falsis erroneisque principiis assensu, operaque sua auctoritatem ac robur adiungere non dubitaverit. Culpae gravitas facit, ut falsam existimemus accusationem; nimis enim abhorret animus a tam iniurioso de Vobis iudicio, ut quemquam Vestrum credamus Ecclesiae Iesu Christi causam in re tanti momenti prodere potuisse, quanti ea sunt, in quibus constitutionis eius vis et essentia ipsa posita est. Neque enim, nisi laesa planeque perturbata Ecclesiae divinitus instituta ratione ipsa naturaque regiminis fieri potest, ut ulla in eam saeculi dominetur potestas, aut eius moderetur doctrina, aut obsistat, ne cum prima sede communicetur, ad quam, teste S. Irenaeo propter potiorem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, et eos, qui sunt undique fideles, quique aliam vellet eius regiminis formam inducere, is, ut inquit sanctus Cyprianus, humanam conaretur facere Ecclesiam.

(V.) Quod Vobis, Venerabiles Fratres, Officia in memoriam revocamus Apostolici Ministerii, id eo consilio fecimus, ut Vos confirmemus, et, si quidem opus sit, excitemus, ad iura Ecclesiae summo studio asseranda, tenendamque sanam doctrinam ita, ut minime dubitetis quam rationi ac iustitiae adversentur, quae vel suscepta sunt, vel in eo est, ut suscipiantur perniciosa Ecclesiae consilia, iis ostendere, apud quos agi necesse sit. Ipsa quidem causae bonitas ac iustitia, et ovium curae vestrae commissarum sollicitudo addere Vobis animos debent, quo propriam Pastoris boni virtutem pro illarum salute proferetis; sed tamen illud etiam accedit ad Vos confirmandos, quod initis inter sanctam Sedem et Principes ipsos conventionibus causa, quam defenditis innititur; obligata quippe publice fide polliciti sunt, se plane liberam in suis regionibus Ecclesiam Catholicam praestaturos, tum, quod pertinet ad Fidelium cum summo Ecclesiae ipsius Capite de negotiis ecclesiasticis commercium, tum, quod ad plenum ius Archiepiscopi et Episcoporum omnis Episcopalis

iurisdictionis ex vigentium Canonum praescripto, et praesentis disciplinae Ecclesiasticae legibus exercendae.

(VI.) Haec autem satis esse speramus, ad id assequendum, ut quaecunque de rebus adeo gravibus perperam sancita sint, detis operam, ut illico revocentur; Vosque exitum nacti studii Vestri salutarem rei bene ac feliciter gestae meritum et gloriam consequamini.

(VII.) De istarum Ecclesiarum conditione ex tanto rerum novarum scandalo incredibiliter solliciti, responsum a Vobis quam citissimum exspectamus, sive illud votis Nostris consentaneum ut consolemur dolorem Nostrum, sive, quod Deus advertat, adversum, ut ea capere consilia possimus, quae a Nobis Apostolici Officii munus omnino postulat. Fiducia iure freti studii Vestri in his perficiendis, quae Vobis in Domino et suademus et mandamus, Apostolicam Benedictionem Vobis, Venerabiles Fratres, Gregibusque Vestris peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem die 30. Iunii anni 1830. Pontif. Nostri anno II.

LX. Verordnung mehrerer bei der oberrheinischen Kirchenprovinz betheiligten Regierungen vom 1. März 1853.

§. 1. An die Stelle der §§. 4, 5, 9, 18, 19, 25 und 27 der Verordnung vom 30. Januar 1830 treten nachstehende Bestimmungen.

§. 2 (anstatt §. 4). Die von dem Erzbischof, dem Bischof und den übrigen kirchlichen Behörden ausgehenden allgemeinen Anordnungen und Kreisschreiben an die Geistlichkeit und Diöcesanen, wodurch dieselben zu etwas verbunden werden sollen, was nicht ganz in dem eigenthümlichen Wirkungskreise der Kirche liegt, so wie auch sonstige Erlässe, welche in staatliche oder bürgerliche Verhältnisse eingreifen, unterliegen der Genehmigung des Staates. Solche allgemeine kirchliche Anordnungen und öffentliche Erlasse, welche rein geistliche Gegenstände betreffen, sind der Staatsbehörde gleichzeitig mit der Verkündigung zur Einsicht mitzutheilen.

§. 3 (anstatt §. 5). Alle päpstlichen Bullen, Breven und sonstigen Erlasse dürfen nur von dem Bischof und nur unter den Voraussetzungen des §. 2 verkündet und angewendet werden.

26. Art. Die Geistlichen dürfen sich von ihren Kirchen nicht entfernen ohne Erlaubniss der geistlichen Behörde, welche sie nur auf 6 Wochen ertheilen kann. Auf längere Zeit hat die Commission der Religions-Gebräuche und der Volksaufklärung die Erlaubniss zu ertheilen.

27. Art. Neue Parochien dürfen nicht errichtet, noch Gränzveränderungen in den alten gemacht, auch nicht zwey zusammen vereinigt werden, ohne Beauftragung der Regierung.

28. Art. Die Bischöfe sollen jährlich der Commission der Religions-Gebräuche und der Volksaufklärung die Liste der weltlichen und Ordensgeistlichkeit, überschicken, wie auch Berichte über den Zustand der Diöces-Seminarien, welche die Anzahl und Namen der Lehrer, die von denselben vorgetragenen Lehrgegenstände, zugleich auch die Anzahl und Nahmen der Schüler mit Bemerkungen über ihre Sitten und Fähigkeit, enthalten müssen.

Vierter Titel.
Kirchen-Fonds.

29. Art. Alle Fonds und Gebäude der Kirchen und Geistlichkeit stehen unter dem Schutze und der Aufsicht der Commission der Religions-Gebräuche und der Volksaufklärung.

30. Art. Da diese Commission darauf zu sehen hat, dass die Kirchen und geistlichen Gebäude in bestem Zustande seyen: so hat sie gleicher Weise das Recht, zu Ausbesserung oder Aufbauung neuer diejenigen anzuhalten, welche dazu, nach den in dieser Hinsicht gegebenen Vorschriften, verpflichtet sind.

31. Art. Bey der Installation eines Benefiziaten wird von dazu besonders von der Commission der Religions-Gebräuche und der Volksaufklärung wie auch vom Bischof abgeordneten Personen, ein Inventarium über den Zustand der Kirche und deren Vermögen niedergeschrieben; für dessen Vollständigkeit der Benefiziat verantwortlich ist.

32. Art. Ein Gnadenjahr findet nicht Statt. — Der Benefiziat hat zu den Einkünften seines Benefizes, nur während seines Lebens ein Recht. — Alle Einkünfte, von dem Tage seines Todes an bis zur Installation seines Nachfolgers, werden zu Ausbesserung der Kirche verwendet; oder wenn die Kirche sie nicht nöthig haben sollte, giebt die Commission der Religions-Gebräuche und der Volksaufklärung die nöthigen Befehle, damit sie zu Verbesserung der Ortswirthschaft verwendet werden, wovon der Bischof innerhalb eines Jahres der Commission der Religions-Gebräuche und der Volksaufklärung Rechenschaft ableget.

33. Art. Die Geistlichen sollen die mit ihrem Amte verbundenen Einkünfte von dem Tage ihrer kanonischen Installation an, beziehen.

34. Art. Die Berechnung der Einkünfte des Benefiziaten wird so bestimmt, dass man von dem 1sten Jänner eines jeden Jahres anfängt.

35. Art. Geistliche Fonds können weder vertauscht, noch auf länger als auf drey Jahre verpachtet werden. Keine Capitalien dürfen erhoben, oder anderweitig untergebracht werden, ohne Erlaubniss der Regierung.

36. Art. Alle Contracte, durch welche geistliche Fonds auf drey Jahre verpachtet werden, müssen von der Commission der Religions-Gebräuche und der Volksaufklärung bestätigt seyn, Contracte auf ein Jahr, von dem Bischof.

37. Art. Kirchen und geistliche Gesellschaften dürfen Verschreibungen ohne Genehmigung der Regierung nicht annehmen.

38. Art. Die Vollziehung der gegenwärtigen Verordnung tragen wir der Commission der Religions-Gebräuche und der Volksaufklärung, auf.

Gegeben in Petersburg den $^{6}/_{18}$ März 1817.

(unterterzeichnet) Alexander.

LXXVI. Articles convenus entre les Plénipotentiaires de S. M. L'Empereur et celui de S. S. le Pape à Rome le 22 Juillet (3 Août) 1847.

Art. I. Le nombre des Diocèses Catholiques-Romains dans l'Empire de Russie est fixé à sept, — un Archêvéché et six Evêchés, savoir:

1) L'Archidiocèse de Mohilew embrassant toutes les parties de l'Empire qui n'entrent pas dans les six Diocèses ci dessous nommés; le Grand Duché de Finlande y est également compris.

2) Le Diocèse de Wilna comprenant les Gouvernemens de Wilna et de Grodno tels qu'ils sont actuellement délimités.

3) Le Diocèse de Telsche ou Samogitie, comprenant le Gouvernement de Courlande et celui de Kovno, tels qu'ils sont délimités actuellement.

4) Le Diocèse de Minsk, comprenant le Gouvernement de Minsk dans ses limites actuelles.

5) Le Diocèse de Loutzk et Gitomir, composé des Gouvernemens de Kiev et de Volhynie, dans leurs limites actuelles.

6) Le Diocèse de Kaménieck comprenant le Gouvernement de Podolie dans ses limites actuelles, et

7) Le nouveau Diocèse de Kherson, composé de la province de Bessarabie, des Gouvernemens de Kherson, d'Ecatheri-

noslav, de Saratov, de Tauride et d'Astrakhan, et des contrées situées dans le Gouvernement Général du Caucase.

Art. II. La Bulle de circonscription fixera l'étendue et les limites des Diocèses, telles qu'elles sont indiquées dans l'Article précédent.

Les Décrets d'exécution contiendront le dénombrement et la dénomination des paroisses de chaque Diocèse; ils seront soumis à la sanction du Saint Siége.

Art. III. Le nombre des Suffraganéats, institués par la Bulle du Pape Pie VI de l'année 1798 dans les six anciens Diocèses, est maintenu.

Art. IV. A Saratov il y aura un Suffraganéat du nouvel Evêché de Kherson *).

Art. V. L'Evêque de Kherson jouira d'un traitement de quatre mille quatre cent quatre vingt roubles argent; son suffragant recevra un traitement égal à celui des autres Evêques suffragans de l'Empire, savoir deux mille roubles argent.

Art. VI. Le chapitre Cathédral de Kherson sera composé de neuf membres, savoir: a) deux Prélats ou Dignitaires, le Prévot et l'Archidiacre; b) quatre chanoines dont trois exerceront les fonctions de Théologien, de Pénitencier et de Curé; et c) trois Mansionaires ou Bénéficiers.

Art. VII. Il y aura dans le nouvel Evêché de Kherson un Séminaire Diocésain; quinze à vingt-cinq élèves y seront entretenus au frais du Gouvernement comme les boursiers des autres Séminaires.

Art. VIII. En attendant la nomination d'un Evêque catholique du rit Arménien, on pourvoira aux besoins spirituels des Arméniens catholiques résidant principalement dans les Diocèses de Kherson et de Kaménieck, en leur appliquant les dispositions du § 9 du concile de Latran de 1215.

Art. IX. Les Evêques de Kaménieck et de Kherson auront à déterminer le nombre de clercs Arméniens catholiques qui doit être entrenu aux frais du Gouvernement dans leurs Séminaires respectifs. Il y aura dans chacun de ces Séminaires

---

*) Après la signature et la ratification des stipulations convenues avec la cour de Rome par le présent acte, il a été arrêté, en vertu d'un arrangement spécial avec la dite cour que le Diocèse de Kherson, au lieu d'un seul, serait pourvu de deux évêques suffragans, conformément à la teneur de l'oucase du 29 Novembre 1848.

un Prêtre Arménien catholique, pour instruire les élèves de ce rit dans les cérémonies de leur culte.

Art. X. Toutes les fois que les besoins spirituels des catholiques Romains et Arméniens du nouvel Evêché de Kherson pourront l'éxiger, l'Evêque, en outre des moyens employés jusqu'ici pour subvenir à ces besoins, enverra des prêtres en tournée expresse pour cet objet; — le Gouvernement Impérial lui accordera les sommes nécessaires pour leur voyage et leur entretien.

Art. XI. Le nombre des Diocèses dans le Royaume de Pologne reste tel qu'il a été fixé par la Bulle du Pape Pie VII en date du 30 Iuin 1818. — Rien n'est changé au nombre et à la dénomination des Suffraganéats existants dans ces Diocèses.

Art. XII. La désignation des Evêques pour les Diocèses et les Suffraganéats de l'Empire de Russie et du Royaume de Pologne, aura lieu, chaque fois, d'après un concert préalable entre l'Empereur et le Saint-Siége. L'institution canonique leur sera accordée par Sa Saintété dans les formes ordinaires.

Art. XIII. L'Evêque est seul juge et administrateur des affaires ecclésiastiques de son Diocèse, sauf sa dépendance canonique du St. Siége.

Art. XIV. Au nombre des affaires qui doivent être préalablement soumises aux délibérations du Consistoire Diocésain, sont:

1) Concernant les Ecclésiastiques du Diocèse.

a) Les affaires disciplinaires en général (toutefois, celles moins importantes, qui n'entrainent que des peines légères, moindre que la destitution ou une détention plus ou moins prolongée, sont décidées par l'Evêque, sans l'avis préalable du Consistoire; sauf à lui, s'il le juge à propos, de consulter le Consistoire sur ces sortes d'affaires ainsique sur toutes les autres).

b) Les affaires contentieuses entre ecclésiastiques, touchant les propriétés tant mobilières qu'immobilières des Eglises.

c) Les plaintes et réclamations contre des membres du Clergé, portées soit par des Ecclésiastiques, soit par des Laïques, pour injures ou dommages, ou pour l'inexécution d'engagemens non contestés en droit ni en fait, lorsque le réclamant préfère cette voie pour obtenir satisfaction.

d) Les causes de nullité des voeux monastiques; elles seront examinées et jugées d'après les règles établies par la Bulle de Benoit XIV „Si datam."

2) *Concernant les laïques.*

c) Les causes matrimoniales, les vérifications de la légitimité des mariages, les actes de naissances, les actes baptistaires, de décès, etc. *).

3) *Mixtes.*

f) Les cas où il est nécessaire d'imposer une pénitence canonique pour crime, contravention ou délit quelconque jugés par les Tribunaux séculiers.

4) *Economiques.*

g) Déterminations ou budjet préalable des sommes affectées à l'entretien du Clergé, contrôle des dépenses, compte-rendu de ces sommes, affaires concernant la réparation ou la construction de nouvelles Eglises, Chapelles etc.

En outre, le Consistoire est chargé de dresser les listes des Ecclésiastiques et des paroissiens du Diocèse, de l'envoi des circulaires et autres publications, qui ne concernent pas les affaires administratives du Diocèse.

Art. XV. Les affaires précitées sont décidées par l'Evêque après avoir été examinées dans le Consistoire, dont le caractère néanmoins demeure purement consultatif. L'Evêque n'est pas tenu de motiver ses décisions, même dans les cas où son opinion serait différente de celle de son Consistoire.

Art. XVI. Toutes les autres affaires du Diocèse, qualifiées d'administratives, et dans lesquelles rentrent lès cas de

---

*) Après la signature et la ratification des stipulations convenues avec la cour de Rome par le présent acte, en vertu d'un arrangement spécial avec la dite cour, la marche suivante a été arrêtée pour la connaissance des causes matrimoniales et autres affaires ecclésiastiques. La premiére instance de juridiction ecclésiastique pour les affaires de cette catégorie sera formée par les Evêques diocesains locaux et dans le diocèse archiepiscopal par l'Archevêque avec leurs consistoires respectifs, conformément aux régles établies à ce sujet par l'art. XV de cette Convention; la seconde instance pour les affaires jugées en première instance par les évèques, sera formée par l'Archevêque, et quant aux affaires jugées en première instance par l'Archevêque lui-même par l'Evêque d'un des Diocèses les plus voisins de l'Archi-Evêché désigné préalablement par le Pape. S'il y a divergence entre les arrêtés des deux premières instances de juridiction ecclésiastique, ainsique dans les cas d'appel, de plainte ou de protestation, la connaissance des affaires matrimoniales appartient au St. Siége de Rome.

conscience, de for intérieur et même, ainsi qu'il est dit plus haut, ceux de discipline qui n'emporteraient que des pénitences légères ou des exhortations pastorales, ressortent immédiatement de l'autorité et de la décision spontanée et exclusive de l'Evêque.

Art. XVII. Tous les membres du consistoire sont Ecclésiastiques. Leur nomination et leur démission dépendent de l'Evêque. Les nominations se font avec l'agrément du Gouvernement. Dans le cas où l'Evêque, dans sa conscience, jugerait nécessaire d'éloigner un des membres du consistoire, il lui désignera de suite un successeur, également avec l'agrément du Gouvernement.

Art. XVIII. Le personnel de la chancellerie du consistoire sera confirmé par l'Evêque sur la présentation du Secrétaire du consistoire.

Art. XIX. Le Secrétaire de l'Evêque, chargé de sa correspondance officielle et particulière est nommé directement par l'Evêque, il pourra être, â son gré, pris parmi les ecclésiastiques.

Art. XX. Les fonctions des membres du consistoire cessent à la mort ou à la démission de l'Evêque, ainsi qu'â l'expiration de l'administration du Siége vacant. Si l'Evêque vient à mourir ou à donner sa demission, son Successeur ou celui qui le remplace temporairement (soit qu'il eût un coadjuteur cum futura successione, soit que le chapitre procède à l'élection d'un Vicaire Capitulaire, dans les termes fixés par les canons de l'Eglise) recomposera immédiatement le consistoire, toujours, comme il est dit plus haut, avec l'agrément du Gouvernement.

Art. XXI. L'Evêque a la direction suprême de l'enseignement, de la doctrine et de la discipline dans tous les Séminaires de son Diocèse d'après les régles etablies par le concile de Trente chap. XVIII, Session XXIII.

Art. XXII. Les choix des Recteurs, Inspecteurs, Professeurs ou Maîtres pour les Séminaires Diocésains, sont réservés à l'Evêque. Avant de les nommer, il s'assurera que sous le rapport de leur conduite civile, ces choix ne feront pas naître d'objection de la part du Gouvernement. Dans le cas où l'Evêque jugerait nécessaire d'éloigner soit le Recteur ou l'Inspecteur soit un des Professeurs ou Maîtres, il lui désigne de suite, et de la même manière, un successeur. Il est libre de suspendre temporairement un ou plusieurs cours d'études dans son Séminaire. Dans le cas ou il croirait indispensable de suspen-

dre tous les cours à la fois et de renvoyer les élèves à leurs parens, — il aura à en informer sans délai le Gouvernement.

Art. XXIII. L'Archevêque metropolitain de Mohilev exerce sur l'Académie Ecclésiastique de St. Pétersbourg la même autorité que chaque Evêque exerce sur son séminaire Diocesain. Il en est le seul chef et le Directeur suprême; le conseil ou la Direction de l'Académie n'a qu'un caractère purement consultatif.

Art. XXIV. Le choix du Recteur, de l'Inspecteur et des Professeurs de l'Académie sera fait par l'Archevêque, sur le rapport du conseil Académique. Les dispositions énoncées dans l'Article XXII s'appliquent également à ces choix.

Art. XXV. Les Professeurs et Adjoints des sciences théologiques sont toujours choisis parmi les Ecclésiastiques. Les autres Maîtres pourront être choisis parmi les laïques professant la religion catholique Romaine, et de préference parmi ceux qui auront achevé leur cours d'études dans un des établissemens supérieurs d'instruction de l'Empire et qui auront des grades Académiques.

Art. XXVI. Les confesseurs des élèves des Séminaires et de l'Académie ne prendront aucune part à la direction disciplinaire de l'établissement; ils seront choisis et nommés par l'Evêque ou Archevêque.

Art. XXVII. Après la nouvelle circonscription des Diocèses, l'Archevêque fixera une fois pour toutes, avec l'avis des ordinaires, le nombre des élèves que chaque Diocèse pourra envoyer à l'Académie.

Art. XXVIII. Le programme des études sera fait, pour les Séminaires, par les Evêques. Pour l'Académie l'Archévêque le fera, après en avoir conféré avec les membres de son conseil Académique.

Art. XXIX. Lorsque le réglement de l'Académie Ecclésiastique de St. Pétersbourg aura subi les modifications conformes aux principes dont on est convenu dans les Articles précédens, l'Archevêque de Mohilev adressera, concernant l'Académie susmentionnée, un rapport au St. Siége pareil a celui que fit l'Archevêque de Varsovie Khoromanski, à l'occasion de la réorganisation de l'Académie Ecclésiastique de cette ville.

Art. XXX. Partout ou le Jus Patronatus n'existe pas ou se trouve temporairement suspendu, les curés sont nommés par l'Evêque, avec l'agrément du Gouvernement, à la suite d'un

examen préalable et d'un concours entre les candidats, d'après les régles prescrites par le concile de Trente.

Art. XXXI. La réparation des Eglises Catholiques Romaines se fait librement aux frais des communes, ou des particuliers qui voudront s'en charger. Dans le cas ou leurs ressources ne seraient pas suffisantes, ils pourront s'adresser au Gouvernement Impérial pour en obtenir les secours nécessaires. On avisera à construire des Eglises nouvelles et à augmenter le nombre des Paroisses toutes les fois que pourront l'exiger soit l'accroissement de la population, soit la trop grande étendue des paroisses existantes et la difficulté des communications.

Fait à Rome le 3 Août 1847.

(L. S.) signé: A. Card. Lambruschini. (L. S.) signé: D. Comte de Bloudoff. (L. S.) signé: A. Bouténeff.

LXXVII. Bulla circumscriptionis Dioecesium Regni Moscovitici d. 3. Iulii 1848.

Pius Episcopus, Servus Servorum Dei.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Universalis Ecclesiae cura Nobis divinitus commissa postulat, atque efflagitat, ut omnem, qua late patet, christianum orbem paterna caritate complexi nullam Apostolicae Nostrae vigilantiae, et sollicitudinis partem unquam omittamus, quo in remotissimis quoque ab hac S. Sede regionibus Sanctissimae Nostrae religionis causae, ac spirituali fidelium prosperitati totis viribus consulamus, prout Dei gloria, et animarum saluti magis expedire noverimus. Hinc ubi arcano Divinae Providentiae consilio in hac sublimi Principis Apostolorum Cathedra collocati totius Ecclesiae gubernacula tractanda suscepimus, nulla interposita mora paternum animum, studiumque Nostrum ad amplissimas Russiarum Imperii regiones convertimus, in quibus Divini Verbi praecones, latina quoque mittente Ecclesia, maximos labores, et gravissima quaeque pericula strenue constanterque perpessi, ac vel ipsam triumphalem martyrii lauream adepti salutiferam Christi fidem a vetustissimis usque temporibus primum annunciarunt, propagarunt, nihilque intentatum reliquerunt, quo illos populos de errorum tenebris ad catholicae veritatis lucem traducerent. Itaque illustribus recol. mem. Gregorii XVI. Praedecessoris Nostri vestigiis insistentes cum Serenissimo ac Potentissimo Principe Nicolao I. Russiarum Imperatore, et Polo-

niae Rege Illustri tractationem suscepimus, omnesque curas, et consilia adhibuimus, ut catholicae religionis statum in meliorem ibi conditionem adducere, ac sempiternae illorum fidelium saluti prospicere possemus. Etsi vero Deo bene juvante multa quidem componere potuimus, in quibus ille Serenissimus Princeps prona et benevola voluntate Nostris desideriis obsecundavit, tamen plurima et gravissimi sane, maximique momenti ad optatum exitum adducenda supersunt, quemadmodum ex Consistoriali Nostra Allocutione hoc ipso die habita, ac typis edita clare aperteque patet. Cum autem praeter Dioeceses sitas in Poloniae Regno ejusdem Principis ditioni subjecto in vastissimo Russiarum Imperio sex latini Ritus existant Dioeceses, quarum fines fel. rec. Pius VI. Decessor Noster pro Apostolica Sua sollicitudine atque illorum fidelium bono constituendos curavit, suis Apostolicis Litteris XV. Kalendas Decembris Anno 1798 sub plumbo datis, quae incipiunt „Maximis undique pressi" tum Nos praesentem earumdem Dioecesium Russiaci Imperii conditionem, et varia rerum, locorum, ac temporum adjuncta prae oculis habentes, in id curas Nostras intendimus, ut dilectae illae oves utiliore regimine, ac maioribus spiritualibus subsidiis perfrui possent. Quapropter inter cetera, quae statuta fuere, cautum est, ut commemoratae sex Dioeceses latini ritus in Russiaco Imperio jam existentes novis circumscribantur finibus, novusque Episcopatus latini item ritus cum duobus Suffraganeis in urbe Chersoneso erigatur, quo in vastissimis illis regionibus Episcopi in proprii gregis salutem procurandam facilius, et commodius incumbere valeant. Itaque rebus omnibus mature diligenterque perpensis, ac selecta Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregatione in consilium adhibita, in eam porro spem erecti fore, ut hujusmodi nova Dioecesium circumscriptio, novique Episcopatus institutio ad catholicae religionis bonum, et utiliorem rerum sacrarum procurationem conducat, quorumcumque interesse habentium consensui, quoties opus fuerit, plenarie supplentes, aliisque omnibus etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine hisce Litteris constituimus, ut ex septem latini ritus commemoratis Dioecesibus in amplissimo Russiarum Imperio, una nempe Mohiloviensis Ecclesia Metropoliticum jus, et dignitatem, quibus jamdiu est insignita, retineat, aliae vero jam institutae scilicet Ecclesiae Vilnensis, Samogitiensis, Minscensis, Luceoriensis cum

Zytomericensi conjuncta, Camenecensis, itemque Chersonensis Ecclesia nunc primum ut infra erigenda Episcopalem dignitatem, et jura habeant, ac suffraganea sint ipsius Metropolitanae Ecclesiae Mohiloviensis. Ut autem recta earumdem Dioecesium habeatur circumscriptio, quae in utiliorem rei sacrae procurationem cedat, praevia regionum, ac locorum omnium disjunctione huic novae divisioni necessaria, itemque quorumcumque interesse habentium consensui plene supplentes, aliisque omnibus quavis mentione, ac derogatione dignis in contrarium minime obstantibus, quibus expresse derogamus, hujusmodi novam pro locorum, et regionum statu, ac maiore illorum fidelium utilitate, earumdem in Russiaco Imperio Ecclesiarum distributionem, ipsarumque divisionem per has Litteras de ejusdem Apostolicae potestatis plenitudine decernimus et constituimus juxta modum qui sequitur, videlicet:

Metropolitana Mohiloviensis Ecclesia amplectatur una cum magno Finlandiae Ducatu eas omnes Russiaci Imperii partes, quae in aliis sex nominatis Dioecesibus non continentur.

Episcopalis Ecclesia Wilnensis eos habeat fines quibus Gubernia Wilnae, et Grodni vulgo Grodno in praesentia circumscribuntur.

Episcopalis Ecclesia Samogitiensis iis constabit finibus, quibus Gubernia Curlandiae, et Kovni vulgo Kowno nunc praefiniuntur.

Episcopalis Ecclesia Minscensis hodiernis Gubernii Minscensis limitibus definietur.

Episcopalis Ecclesia Luceorina cum Zytomeriensi conjuncta constabit limitibus quos Kioviae et Voliniae Gubernia in praesens habent.

Episcopalis Ecclesia Camenecensis definietur finibus, quos in praesentia Podolia Gubernium habet.

Verumtamen volumus ut commemoratae nuper Ecclesiae, nempe Metropolitana Mohiloviensis, et aliae quinque in Russiaco Imperio jam existentes iisdem Suffraganeatibus omnino polleant, veluti antea potiebantur, firmo remanente illorum numero, denominatione ac residentia, quemadmodum in commemoratis fel. rec. Pii VI. Decessoris Nostri Litteris statutum fuit, iis tantum adhibitis immutationibus, quae ob novam earumdem Dioecesium circumscriptionem locum habere debent, quaeque Nostris hisce Litteris indicantur. Metropolitana Mohiloviensis tres Suffraganeatus retinet. Cum autem unus ex ipsis residen-

tiam habebat in civitate Kioviensi, quae cum Dioecesi Luceorina, et Zytomeriensi nunc fuit conjuncta, oportet, ut harum Litterarum Exsequutor pro hujusmodi Suffraganeatu in Dioecesi Mohiloviensi residentiam ab hac Apostolica Sede approbandam designet. Et quoniam Vilnensis Dioecesis quatuor pollebat Suffraganeatibus, quorum unus in Curlandia existebat, quae Samogitiensi Dioecesi fuit adjuncta, iccirco Vilnensis Dioecesis tres tantum in posterum habebit Suffraganeatus, quorum unus in ipsa urbe Vilnensi, alter in Trokensi, et tertius in Brestensi civitate residebit. Etsi vero Samogitiensis Dioecesis duos antea Suffraganeatus haberet, tamen cum Dioecesi ipsi Curlandia fuerit addita, tertius Suffraganeatus in ea Dioecesi erit constituendus, qui in Curlandia uti antea resideat. Hisce tantummodo peractis immutationibus, reliquae Dioeceses iisdem prorsus Suffraganeatibus potientur, quibus antea fruebantur. Volumus quoque ut singula earumdem Ecclesiarum Canonicorum Collegia eo pariter modo et forma perstent, qua ex iisdem Apostolicis litteris constabilita fuere, atque omni sane studio inculcamus, ut in omnibus cujusque Cathedralis Templi Canonicorum Collegiis ex sacrorum Canonum praescripto duo Canonici existant quorum alter Canonici Theologi, alter vero Canonici Poenitentiarii munus sedulo, scienter, ac religiose obire studeat, quemadmodum idem Decessor Noster Pius VI. in suis illis Litteris tantopere comendavit.

Iam vero cum Chersonensis civitas quae totius Chersonensis Gubernii caput ad Pontum Euxinum sita et loci opportunitate, et agrorum ubertate, et incolarum frequentia, et maritimi portus commoditate, et aedificiorum multitudine ac pulchritudine aliisque sane nominibus inter celebriora ad idem mare oppida merito numeretur, civitatem ipsam Episcopali dignitate decorandam esse existimavimus. Quapropter motu proprio, certa scientia, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi eamdem Chersonensem urbem in episcopalem Civitatem erigimus, et constituimus cum omnibus, et singulis juribus, honoribus, privilegiis, praerogativis, indultis, quibus aliae Episcopales Ecclesiae in Russiarum Imperio canonice existentes uti, frui, ac potiri solent. Ad hujus autem novi Episcopatus Chersonensis Dioecesim constituendam eadem auctoritate Nostra Apostolica hisce Litteris a cujusque seu Episcopatus, seu Vicariatus Apostolici territorio, jurisdictione, administratione, regimine perpetuum in modum sejungimus, distrahi-

mus, separamus omnes regiones et loca intra Russiaci Imperii fines, non autem extra illos existentia tum Provinciae Georgiensis, tum Provinciae Bessarabiensis, itemque omnia territoria Guberniorum Chersonensis, Ekaterinoslaviensis, Tauridensis, Saratoviensis, Astracanensis, ac regionum, quae una cum praedicta Georgiensi Provincia in generali Caucasi Gubernio Russiaco continentur, cum iis limitibus, quibus in praesentia commemoratae regiones et loca comprehenduntur, atque omnia ipsa loca et regiones eidem Chersonensi Episcopatui attribuimus, subjicimus, ita ut illius in tempore Episcopus in eadem loca omnem episcopalem iurisdictionem, et pastoralis ministerii munera libere ac licite exerceat, omnesque earumdem regionum, et locorum incolae eidem Chersonensi Antistiti in iis omnibus quae ad religionem pertinent parere debeant. Cum autem in praesentia brevioribus limitibus novus hic Episcopatus circumscribi minime potuerit, qui ceteroquin per vastissimas illas regiones longe lateque extenditur, ut meliori quo fieri potest modo spiritualibus consulamus indigentiis eorum fidelium, qui ab Episcopali Sede longissime distant, atque ipsi Episcopo Chersonensi in amplissima Dioecesi regenda ac moderanda opportunum auxilium praebeamus, duos interea temporis Suffraganeatus ejusdem Chersonensis Episcopatus instituendos esse duximus. Quocirca eadem auctoritate Nostra Apostolica duos Suffraganeatus in novo Episcopatu Chersonensi hisce litteris erigimus, statuimus, atque decernimus, quorum unus in civitate Saratovia residere debeat, alter vero nullam stabilem ac determinatam residentiam habens Chersonensis Episcopi lateri adhaerere debebit; ita tamen ut Episcopus ipse pro suo arbitrio ejusdem Suffraganei opera in propriae Dioeceseos procuratione uti, eumque tum ad Georgiensem Provinciam, tum ad alia quoque Chersonensis Episcopatus loca libere mittere possit, quemadmodum majori sui gregis bono et utilitati in Domino conducere existimaverit. Et quoniam in tanta Chersonensis urbis distantia haud facile possit cognosci, quod Templum divino cultui ibi dicatum Cathedralis juribus ac dignitate prae ceteris decorari oporteat, iccirco harum Litterarum Exsequutori quem inferius nominabimus, potestatem facimus, ut auctoritate Nostra Apostolica illud Templum in Chersonensem Cathedralem erigat, quod ipse magis idoneum magisque ornatum cognoverit, ac simul declaret, Templum ipsum omnibus ac singulis honoribus, juribus, privilegiis, indultis perfrui debere, quibus aliae Cathedrales Eccle-

siae in Russiarum Imperio rite utuntur, atque potiuntur. Quod quidem Templum Cathedralis Chersonensis Ecclesiae nomine erit appellandum, atque in illo Cathedra, Sedes, ac dignitas Episcopalis pro suo Antistite instituatur, qui Chersonensis Episcopus appellari, ac eidem Ecclesiae, Civitati, et Dioecesi Chersonensi praesidere debebit, eadem omnino ratione, jurisdiotione atque iisdem juribus, honoribus, privilegiis, praerogativis, quibus aliarum Ecclesiarum Episcopi in Russiaco Imperio ad sacrorum Canonum normam utuntur, ac pollent.

Ut autem in hujusmodi Templo decor domus Dei eniteat, ibique divina officia, et aliae sacrae caeremoniae supplicationesque peragantur, quae ad majorem Dei gloriam, ac spiritualem fidelium aedificationem tantopere conducere solent, volumus atque praecipimus ut Cathedrale Canonicorum Capitulum statim erigatur. Quod Canonicorum Collegium novem constabit ecclesiasticis viris, nempe duobus Praesulibus, seu Dignitatibus Praeposito, et Archidiacono, quatuor Canonicis, ex quibus unus Canonici Theologi, alter Canonici Poenitentiarii munere in perpetuum sedulo fungatur, alter demum omnia Parochi munia cum consuetis juribus perpetuo ac diligenter obeat in ea, quae Cathedrali eidem attributa fuerit Paroecia, cujus habitualis cura penes Capitulum ipsum esse debebit, actualis vero ab uno ex Canonicis uti supra erit exercenda. Hisce autem sex Canonicis tres addantur Mansionarii seu Beneficiarii perpetuae pariter fundationis. Illud autem in primis diligenter religioseque servandum esse praecipimus, ut commemorata Beneficia, ac praesertim Canonicatus duarum Dignitatum, et Theologi, Poenitentiarii, ac Parochi iis deferantur viris, qui digni atque idonei sint, quique necessariis dotibus polleant, ac propterea mandamus, ut Praebendae Canonici Theologi, Poenitentiarii, et Parochi conferantur praevio concursu juxta Concilii Tridentini praescriptum. Volumus autem ut hoc Chersonensis Cathedralis Templi Canonicorum Collegium, postquam rite fuerit institutum, iisdem choralibus indumentis ac omnibus, et singulis gratiis, privilegiis, honoribus, indultis perfruatur, quemadmodum canonice gaudent alia in Russiarum Imperio Cathedralium Ecclesiarum Capitula, dummodo sint in usu, nec fuerint ex speciali concessione, vel titulo oneroso data atque acquisita. Ejusdem harum Litterarum Exsequutoris curae committimus, ut ubi Chersonensis Cathedralis Capituli institutio fuerit peracta, eidem Canonicorum Collegio Capitularia statuta amplectenda proponat, quae Sacrorum

Canonum sanctionibus, et Apostolicis Constitutionibus nullo modo adversentur, sed iisdem plane sint consentanea, veluti cetera pro aliis Cathedralibus Capitulis statuta, quae saepius nominatis Apostolicis litteris rec. mem. Pii VI Decessoris Nostri approbata fuere. Quae Cathedralis Ecclesiae Chersonensis Capitularia Statuta, postquam confecta fuerint, hujus Apostolicae Sedis judicio subjicienda mandamus, ut ejusdem S. Sedis sanctionem consequantur. Cum vero idonei Ecclesiae Ministri non nisi ex Clericis optime institutis fieri possint, volumus ut in Chersonensi Urbe Clericorum Seminarium instituatur, in quo juxta sapientissimam, ac providentissimam Concilii Tridentini mentem adolescentes Clerici vel a teneris annis ad omnem pietatem, virtutem, et ecclesiasticam disciplinam mature ac diligenter fingantur, ac doctrina plane catholica, et ab omni prorsus cujusque erroris periculo aliena studiosissime erudiantur. Atque hic haud possumus quin Chersonensis Ecclesiae Antistiti etiam atque etiam inculcemus, ut quoties sui gregis necessitas postulaverit, numquam omittat per suam Dioecesim Presbyteros mittere, qui Missionarii munere fungentes omnia spiritualia subsidia Catholicis praebere possint. Quod quidem eo facilius idem Antistes praestare poterit, cum sancitum fuerit Presbyteros ipsos Gubernii impendiis esse sustentandos.

Jam porro quoad temporalia subsidia idem Serenissimus ac Potentissimus Russiarum Imperator, et Poloniae Rex Illustris spopondit, se omnia benigne curaturum, atque effecturum, ut hujusmodi salutare negotium prospere conficiatur. Quocirca in ipsa Chersonensi urbe aedes satis idoneae atque decentes, et quoad fieri poterit Cathedrali Templo proximiores comparandae erunt pro Episcopi habitatione, itemque alia aedificia satis ampla et commoda destinanda pro Clericorum Seminario. Quod autem attinet ad reditus, qui necessario attribuendi sunt, ut res omnes ad eumdem Chersonensem Episcopatum pertinentes optatum assequantur effectum, ipsa Episcopalis Mensa, veluti statutum est, annuum censum habebit quatuor millium quadrigentorum octoginta rublorum argenteorum; quisque vero ex duobus ejusdem Episcopatus Suffraganeis dote fruetur, qua alii Episcopi Suffraganei in Russiaco Imperio potiuntur, scilicet annuo reditu bis mille rublorum argenteorum. Pro Canonisis autem, et Mansionariis Cathedralis Templi Chersonensis, ac pro tuenda ipsius Templi et Sacrarii fabrica, itemque pro impendiis quae ad sacram suppellectilem vel comparandam, vel refi-

ciendam, et ad alia cujusque generis divino cultui decenter exercendo necessaria omnino requiruntur, nec non pro Dioecesano Seminario erigendo et conservando quemadmodum in ceteris Dioecesibus dos assignetur, quae tamen omnibus Dioecesis necessitatibus plene respondeat.

Edicimus taxam Episcopali Mensae Chersonensi irrogandam esse debere in florenis auri de Camera triginta tribus cum tertia ejusdem floreni parte, quam taxam in Camere Apostolicae, et S. Collegii libris ex more inscribendam esse mandamus.

Ut autem quisque Antistes propriae Ecclesiae jurisdictionem agnoscere, et illam accurate exercere queat, harum Litterarum Exsequutori committimus, ut ipse separatis Decretis hujus Apostolicae Sedis judicio, et sanctioni postea subjiciendis numerum, denominationem, et fines Paroeciarum quae ad singulas quasque Dioeceses spectant, diligentissime recenseat. Cum vero statutum fuerit Coenobia, et Monasteria tum virorum, tum mulierum in universo Russiarum Imperio nunc existentia (quae supra centum reperiuntur) omnino esse servanda, atque illa deinceps imminui numquam posse, absque praevia, et expressa huius S. Sedis auctoritate, eidem Exsequutori commendamus atque praecipimus, ut in iisdem Decretis summa diligentia exponat quod inibi extent Coenobia, vel Monasteria, et accurate enarret in quibus oppidis, in qua Dioecesi existant, et cujus ordinis, ritus, nominationis, et regulae sint, et quot personae in unoquoque Coenobio, et Monasterio versentur, quae religiosum institutum rite profiteantur. Insuper volumus, ut idem Exsequutor in iisdem Decretis pari sedulitate enunciet nominationem, et residentiam omnium Suffraganeatuum, qui praesto habendi, servandique sunt pro singulis commemoratis Ecclesiis, veluti in commemoratis Apostolicis Litteris Pii VI. sancitum fuit.

Ut autem omnia ut supra statuta rite, feliciter, atque celeriter ad optatissimum exitum perducantur, Dilectum Filium Ignatium Holowinski electum Episcopum Caristensem in Partibus Infidelium et Suffraganeum, ac Coadjutorem cum futura successione Archiepiscopi Mohiloviensis in harum Litterarum Exsequutorem eligimus, constituimus, et deputamus, eique omnes opportunas et necessarias facultates tribuimus, ut omnia supra disposita peragere, statuere, et decernere delegata sibi Apostolica auctoritate libere, ac licite possit, et valeat, atque insuper eidem Dilecto Filio Ignatio facultatem facimus, ut ad plenam rerum omnium exsequutionem vel unam, vel plures per-

sonas religione, fide, integritate spectatas, et ecclesiastica dignitate insignitas in quibusdam praesertim remotissimis locis, ad quae ipse accedere nequeat, subdelegare, et tam ipse Dilectus Filius Ignatius, quam Persona, vel Personae ab eo subdeleganda, vel subdelegandae super quacumque quaestione in actu exsequutionis hujusmodi forsan oritura, servatis tamen de jure servandis, etiam definitive, et quacumque appellatione remota pronunciare libere item, et licite possint, et valeant, et quilibet eorum respective possit, et valeat.

Eidem vero Dilecto Filio Ignatio expresse injungimus, atque praecipimus, ut exempla singulorum Actorum, quae tam ipse quam ejus subdelegati in praesentium Litterarum exsequutionem confecerint intra sex menses ab expleta earumdem Litterarum exsequutione ad hanc Apostolicam Sedem in authentica transmittat, quae in Tabulario Nostrae Congregationis rebus Consistorialibus praepositae ex more erunt asservanda.

Praesentes Litteras, et in eis contenta et Statuta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis, seu eorum aliquo jus, aut interesse habentes, vel habere praetendentes etiam quomodolibet in futurum, cujusvis status, ordinis, praeminentiae, dignitatis sint, etiam specifica, et individua mentione, et expressione digni, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad praemissa minime vocati, vel etiam nullimode, aut non satis, vel sufficienter auditi fuerint, aut ex alia qualibet etiam laesionis, vel alia legitima, ac privilegiatissima causa colore, praetextu, et capite etiam in corpore Juris clauso, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu, quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali, sive etiam ex eo quod in praemissis solemnitates, et quaecumque alia forsan servanda, et adimplenda minime servata, et adimpleta, seu causae propter quas praesentes emanaverint, non satis adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis, vel praetextibus notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, aut in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris vel facti, aut justitiae remedium impetrari, easque omnino sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, decretis, declarationibus generalibus vel specialibus quomodolibet, et quibusvis de causis pro tempore factis minime conprehendi, et semper ab illis exceptas esse, et fore, et tamquam ex Pontificiae providentiae officio,

deque Apostolicae potestatis plenitudine factas, et emanantes omnimoda firmitate perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum perpetuo, et inviolabiliter observari, et ejusdem Chersonensis Ecclesiae noviter erectae, et aliarum Ecclesiarum in Russiaco imperio jam existentium Antistitibus, Capitulis, et Canonicis, aliisque, quorum favorem praesentes Nostrae Litterae respiciunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, eosdemque super praemissis omnibus et singulis, vel illorum causa ab aliquibus quavis auctoritate quomodolibet molestari, inquietari, vel impediri posse neque ad probationem, seu verificationem quorumcumque in eisdem praesentibus Nostris Litteris narratorum nullatenus unquam teneri, nec ad id in judicio, vel extra cogi, seu compelli posse, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et prorsus inane esse, et fore, pari auctoritate Nostra Apostolica volumus, atque decernimus.

Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, aliisque Nostris, et Cancellariae Apostolicae regulis, ac supradictis Apostolicis Litteris a rec. mem. Pio VI Decessore Nostro XV. Kalendas Decembris Anno 1798 editis, quae incipiunt „Maximis undique pressi“ nec non dictarum Ecclesiarum etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, et concessionibus quamvis specifica, et individua mentione dignis, et omnibus et singulis Apostolicis, ac in Synodalibus, Provincialibus, et Universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus. Quibus omnibus et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus habentes, ad praemissorum omnium et singulorum dumtaxat effectum illis alias in iis, quae praesentibus non adversantur, in suo robore permansuris, latissime, plenissime specialiter, et expresse de Apostolicae potestatis plenitudine derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut ipsarum praesentium transumptis etiam impressis manu tamen alicujus publici Notarii subscriptis, et si-

gillo alicujus Personae in ecclesiastica dignitate munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent ostensae vel exhibitae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum erectionis, constitutionis, dismembrationis, adjectionis, distributionis, divisionis, circumscriptionis, assignationis, subjectionis, dotationis, commissionis, mandati, decreti, declarationis voluntatis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae Millesimo octingentesimo quadragesimo octavo. Quinto Nonas Julii. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

B) Regimen ecclesiae.

LXXVIII. Gregorii Papae XVI. constitutio nonis Augusti 1831 datae de ratione agendi a Sede Apostolica in commutationibus regnorum et principum servanda.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei.
Ad Futuram Rei Memoriam.

Sollicitudo Ecclesiarum, qua Romani Pontifices ex commissa sibi divinitus Christiani Gregis custodia assidue urgentur, eo ipsos impellit, ut quod in terrarum gentiumque omnium orbe ad rectam rei sacrae procurationem, atque ad animarum salutem magis expediat, nitantur impense conciliare. Ea tamen identidem est temporum conditio, eae in imperio statuque civitatum vicissitudines, commutationesque, ut inde praepediantur ipsi haud raro, quominus spiritualibus populorum necessitatibus prompte libereque subveniant. Posset enim ab iis potissimum, qui secundum elementa mundi sapiunt, rapi in invidiam auctoritas eorumdem, quasi studio partium permoti judicium quodammodo de personarum juribus ferant, si pluribus de principatu contenden-

tibus quidpiam ipsi pro illarum regionum Ecclesiis ac praesertim ad earum episcopos adsciscendos decernant, re cum iis collata, qui actu ibidem summa rerum potiuntur. Infestam hanc, perniciosamque suspicionem omni fere aetate insectati sunt Romani Pontifices, quorum tanti interest, ipsius fallaciam patefieri, quanti stat aeterna illorum salus, quibus ob id causae opportuna denegentur, vel saltem diutius, ac par est, differantur auxilia.

Huc sane dumtaxat spectavit felicis recordationis praedecessor noster Clemens V., qui in Generali Viennensi Concilio saluberrima Constitutione cautum edixit, ut *si quem Summus Pontifex sub titulo cujuslibet dignitatis ex certa scientia, verbo, constitutione, vel literis nominet, honoret, seu quovis alio modo tractet, per hoc in dignitate illa ipsum approbare non intelligatur, aut quicquam ei tribuere novi juris* *).

Id et luculentissime testatus est Joannes XXII., quando ad Robertum Brusium, qui regem Scotorum agebat, litteras concordiae caussa se dare scripsit *sub regia intitulatione*, probe gnarus, per eam ex Clementinae Constitutionis praescripto *nec juris regis Angliae detrahi, nec ipsi novum aliquod jus acquiri.* Quod ne dum binis ad ipsum Robertum litteris denunciavit, sed et epistola officii plena expresse admonuit Eduardum Angliae Regem, cum quo de Scotiae dominatu contentio illa fervebat, ne scilicet *per huiusmodi intitulationem* censeret, quidpiam alterutrius juri vel accrevisse vel esse detractum **).

Nec absimili consilio Pius II. usus est, quando de Hungarorum principatu inter Imperatorem Fridericum et Mathiam Joannis Huniadis filium dimicabatur. Respondit quippe, illum a se ex more nuncupari regem, qui regnum teneret, quo actu nulli inquit detrimentum se arbitrari illatum ***).

Hanc porro agendi rationem, quam ab apostolica sede vel a priscis temporibus servatam novimus, constitutione, quam *in perpetuum valituram et irrefragabilem* dixit, ratam habuit Xistus IV., fel. rec. pariter praedecessor noster, atque speciatim confirmavit, ut nimirum *si qui pro regibus, aut in aliqua dignitate constitutis a Romanis Pontificibus recepti, nominati, aut*

*) Cap. *Si Summus Pontifex.* De sententia excommunicationis in Clement. Vide apud Labbaeum Acta Concilii Viennen., circa finem.

**) Extant tres in eam rem Epistolae Joannis XXII. apud Raynaldum ad annum 1320, §. 40, 41, 42.

***) Apud Raynaldum, ad annum 1459, §. 13.

tractati fuerint tam per se, quam per nuntios, aut ipsimet se nominaverint, et ab aliis quibuslibet pro talibus nominati, recepti, vel tractati fuerint, ac si personaliter aut per eorum oratores in consistoriis, vel aliis quibuslibet actibus collocati, vel admissi etiam coram Pontifice extiterint, nullum, ipsis ex similibus actibus in regnis et dignitatibus hujusmodi jus quomodo libet de novo acquiratur, vel aliis jus habentibus praejudicium aliquod inferatur *).

Hinc ad praestitutam hisce Constitutionibus normam superiori saeculo Clemens XI. immortalis memoriae Pontifex nedum titulo catholici regis serenissimum Austriae archiducem Carolum nuncupavit, sed et *jurium illi adnexorum usum, quod ditiones, quas tenebat, seu forsan ipsum de cetero tenere contigisset, minime in posterum se denegaturum monuit,* diserte in consistorio professus, se praenuntiatas praedecessorum constitutiones adprobare, et innovare, ut ita jura eorum praesertim, qui de Hispanici regni successione contendebant, *aequaliter salva* remanerent **).

Verum si hoc fuit semper in more positum, institutoque apostolicae Sedis, sub memoratis conditionibus rectae sacrarum rerum procurationi ubique instare, quin illa inde pro cognoscendis, decernendisve dominantium juribus sancita censeretur dispositio; id certe multo magis in tanta rerum publicarum mobilitate, atque in crebris ipsarum conversionibus curandum nobis est, ne humanis ex rationibus deserere quodammodo Ecclesiae caussam videamur.

Quare audita selecta venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium congregatione, de apostolicae potestatis plenitudine, motu proprio, ac de matura deliberatione, praedictam constitutionem felicis recordationis Clementis V. praedecessoris nostri, quam occasione non absimilium super aliquo principatu contentionum ceteri praedecessores nostri Ioannes XXII., Pius II., Xistus IV. et Clemens XI. approbarunt et innovarunt, exemplis eorumdem inducti, iisque prorsus inhaerentes, similiter approbamus, ac denue sancimus, declarantes pro futuris quoque temporibus, quod si quis a nobis vel a successoribus nostris, ad spiritualis ecclesiarum fideliumque regiminis negotia componenda, titulo

*) Xistus IV. const., *Hac in perpetuum* Kal. Feb. 1475.

**) Ita oratione consistoriali habita in consistorio, die 14. Oct. 1709.

cujuslibet dignitatis etiam regalis ex certa scientia, verbo, constitutione, vel literis aut legatis quoque hinc inde oratoribus nominetur, honoretur, seu quovis alio modo, actuve, quo talis in eo dignitas facto agnoscatur, aut si eadem ob caussas cum iis, qui alio quocumque gubernationis genere rei publicae praesunt, tractari, aut sanciri aliquid contigerit, nullam ex actibus, ordinationibus et conventionibus id generis ius iisdem attributum, acquisitum, probatumque sit, ac nullum adversus ceterorum iura et privilegia ac patronatus discrimen, iacturaeque et immutationis argumentum illatum censeri possit ac debeat: quam quidem de iurium partium incolumitate conditionem pro adiecta actibus istius modi habendam semper esse edicimus, decernimus, et mandamus, illud iterum nostro ac romanorum pontificum successorum nostrorum nomine denuntiantes, in huiusce modi temporum, locorum, personarumque circumstantiis ea tantum quaeri, quae Christi sunt, atque unice, veluti susceptorum consiliorum finem, ea ob oculos versari, quae ad spiritualem aeternamque populorum felicitatem facilius conducant.

monasterio, vel alio regulari loco dependente, provideri, et appareat ex petitione hujusmodi, quod alterius monasterii, vel loci religiosus sit, licet ibi translatio non petatur, nihilominus illa veniat.

§. 61. Item, quod in literis super beneficiis per constitutionem Execrabilis, vacantibus ponatur clausula, Si est ita, similiter de quibuscumque narratis informationem facti requirentibus.

§. 62. Item petenti sibi provideri de vacaturo, dentur literae de vacanti, prout expedierint impetranti.

§. 63. Item revocavit quascumque decimarum, necnon subsidiorum, vigesimae, et aliorum onerum impositiones ex quavis causa emanatas (non tamen decimarum, subsidiorum, et onerum impositorum ex quavis causa, et occasione expeditionis contra turchas, et orthodoxae fidei hostes) et quascumque facultates super decimarum, vigesimae, et onerum hujusmodi exactione, quibusvis fructuum, et proventuum Camerae apostolicae debitorum collectoribus, et Apostolicae Sedis nunciis ab eisdem praedecessoribus concessas. Suspendit quoque, ad Suae Sanctitatis, et Sedis apostolicae beneplacitum, quascumque plenarias indulgentias ab eisdem praedecessoribus ex quavis causa etiam expeditionis hujusmodi, si quae per nuncios, vel quaestores deferebantur concessas, necnon deputandi, et eligendi confessores, qui plenarie absolvant, et alia faciant ad earumdem indulgentiarum suspensarum effectum, reliquasque facultates, ipsas indulgentias quomodolibet concernentes, praeterquam quoad ea, in quibus indulgentiae, et facultates in aliqua sui parte sint sortitae effectum. Ita ut illis, qui implentes injuncta eis in literis Indulgentiarum hujusmodi jam consequuti sunt facultatem eligendi confessores, qui absolvant eos plenarie in mortis articulo, per hujusmodi suspensionem non praejudicetur, quin facultate ipsa uti possint in futurum: Decrevit quoque irritum, et inane quicquid facultatum revocatarum earundem praetextu, inposterum contigerit attentari.

§. 64. Item revocavit, cassavit, et annullavit, ac irritas declaravit quascumque facultates percipiendi pretium officiorum romanae curiae pro tempore vacantium in toto, vel in parte, et quasvis concessiones, et collationes, aliasque dispositiones per fel. recor. Clementem XIII aliosque praedecessores de dictis officiis etiam ex die collationum, concessionum, et dispositionum earundem in antea vacaturis, in favorem quarumcumque personarum, ecclesiar. monasteriorum, piorum locorum collegiorum,

seu eorum mensarum, etiam perpetuo, etiam in vim contractus, et ex titulo oneroso, et sub quavis alia verborum forma, quam et praemissorum tenore pro expressa haberi voluit, concessas, et factas, quoad officia, quae post dictorum praedecessorum funus vacarunt, et in posterum quomodolibet vacabunt. Item revocavit quoque, cassavit, et annullavit, ac irritas declaravit quascumque infeudationes, investituras, gratias, concessiones quoquomodo etiam in emphyteusim, ad tempus, seu in perpetuum etiam motu proprio, et de plenitudine potestatis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis (extra tamen consistorium, et sine S. R. E. cardinalium consilio, et consensu) a die constitutionis fel. cord. Pii PP. V. praedecessoris sui super prohibitione alienandi, et infeudandi civitates, et loca S. R. E. sub datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quarto kalend. aprilis pontificatus sui anno secundo, usque in praesentem diem, per quoscumque Romanos Pontifices suos praedecessores, aut mandato, vel auctoritate eorum, quomodocumque, et qualitercumque, et quovis colore factas, et concessas de civitatibus, et locis S. R. E., et sanctae Sedi apostolicae, et tam mediate, quam immediate subjectis, tunc videlicet de tempore dictarum infeudationum, investiturarum, gratiarum, et concessionum nondum devolutis, necnon quascumque prorogationes, et extensiones quarumcumque infeudationum, investiturarum, gratiarum, et concessionum de dictis civitatibus, terris, oppidis, castris, arcibus, et locis, tunc videlicet de tempore dictarum prorogationum, et extensionum nondum finitarum, quibusvis personis, cujuscumque gradus, status, conditionis, et praeminentiae, etiamsi imperiali, regali, ducali, aut alia quavis praefulgeant dignitate, etiam in vim contractus, et ex quocumque titulo etiam oneroso, et per quascumque tam sub plumbo, quam in forma Brevis sub annulo piscatoris, aut etiam alias quomodocumque, et qualitercumque expeditas literas, ac sub quavis verborum forma, quam et praemissorum omnium tenore, Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit latissime extendendos.

§. 65. Item, cum nonnulli in impetrationibus beneficiorum ecclesiasticorum pro tempore vacantium, et certo modo vacaturorum, asserendo illorum fructus etc. certum per eos expressum annuum valorem non excedere, nonnunquam obtineant a Sanctitate Sua, ut hujusmodi valorem annuum augere possint, ut verius possit in confectione literarum, super hujusmodi im-

petrationibus summa, aut valor annuus exprimi, aliter desuper non specificato, ne de veritate hujusmodi concessionis in posterum haesitari contingat, declaravit praetextu concessionis hujusmodi, valorem ipsum usque ad tertiam partem valoris expressi, et in prima, quae desuper fiet literarum expeditione dumtaxat augeri posse, et eas quas literis jam expeditis cum expressione valoris specificati, aut non integro augumento praedicto, denuo desuper expediri contigerit literas, cum aliquo augumento valoris hujusmodi, nullius esse roboris, vel momenti, etiamsi motu proprio beneficiales gratiae, et dispositiones quaecumque a Sanctitate Sua emanaverint.

§. 66. Item, ne personis, pro quibus literae Suae Sanctitatis emanabunt, ob generalem absolutionem a censuris ecclesiasticis quibus ligati forent, ad eorum effectum indifferenter concedi, et in literis apostolicis apponi solita, praestetur occasio censuras ipsas vilipendendi, et insordescendi in illis: statuit, et ordinavit hujusmodi absolutionem, et clausulam in literis, quas in futurum cum illa concedi continget, non suffragari non parentibus rei judicatae, incendiariis, violatoribus ecclesiarum, falsificatoribus, et falsificari procurantibus litteras, et supplicationes apostolicas, et illis utentibus, receptatoribus, et fautoribus eorum, ac res vetitas ad infideles deferentibus, violatoribus ecclesiasticae libertatis, via facti ausu temerario apostolicis mandatis non obtemperantibus, et nuncios, vel exequutores apostolicae Sedis, et ejus officialium, ejus commissa exequentes, impedientibus, qui propter praemissa, vel aliquod eorum excommunicati a jure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam hujusmodi sustinuerint. Et generaliter quibuscumque aliis, qui censuris aliquibus etiam alias, quam, ut praefertur, quomodolibet ligati in illis per annum continuum insorduerint.

§. 67. Item idem D. N. exactionibus, quas Sanctitas Sua non sine displicentia plerumque fieri intellexit per officiales romanae curiae, qui constitutis sibi emolumentis pro exercitio officiorum, quae obtinent, non contenti, ultra a prosequentibus negociorum quorumdam expeditionem in eadem curia exigere non verentur, obviare volens; districte praecipiendo inhibuit omnibus, et singulis quaevis officia in eadem curia obtinentibus, ne de caetero quidquam praetextu officiorum, quae obtinent, quovis colore, etiam celerioris expeditionis, ultra emolumenta hujusmodi exigere, seu ad hunc effectum expeditionem eorum,

quae eis incumbunt, malitiose differre, sub excommunicationis, et praeter illam suspensionis a perceptione emolumentorum hujusmodi pro prima ad semestre, et pro secunda ad annum, et pro tertia vicibus, quibus sic excederent, privationis officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excesserint, poenis. Ac voluit, quod Sanctae Romanae Ecclesiae Vicecancellarius, et Camerarius, excedentes ipsos respective, prout eis subsunt, per subtractionem emolumentorum eorumdem, ac alias, ut praefertur, compellant ab hujusmodi illicitis exactionibus abstinere, ac contra eos per praedictas poenas, et alias, prout melius expedire viderint, procedant.

§. 68. Item Sanctissimus D. N. provide considerans consuevisse quandoque Romanos Pontifices praedecessores suos beneficia, quae vacante Sede apostolica vacare contigerant, dispositioni suae reservare, intendens de beneficiis hujusmodi, tam conclavistis, quam pauperibus clericis, et aliis benemeritis personis providere, omnia, et singula beneficia per regulas Cancellariae apostolicae, aut quaslibet alias apostolicas constitutiones temporales, Romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet, et ex quavis causa reservari solita, quae a die obitus fel. record. Clementis XIII. praedecessoris sui, usque ad diem decimam nonam Maji proxime praeteriti vacaverunt, et de quibus per quoscumque Ordinarios collatores, tunc dispositum non fuerat, seu minus valide dispositum fuerat, suae provisioni, ac dispositioni reservavit. Decernens irritum etc.

§. 69. Item, quia ad importunam nonnullorum suggestionem, quandoque contigit praedecessores suos Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub contractorum debitorum, vel diversis aliis praetextibus concessisse, et indulsisse beneficiatis, ut fructus suorum beneficiorum, aut partem eorum anticipatis solutionibus ad tempus elocare, vel erga creditores, aut quascumque alias personas obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut alias quomodolibet de eis disponere liceret, ad tempus minime restrictum ad vitam supplicantium cum gravi successorum praejudicio, et ecclesiarum detrimento: ideo indemnitati ecclesiarum, et successorum in beneficiis hujusmodi salubriter consulere volens; revocavit, cassavit, et annullavit omnia, et singula indulta, et facultates in ea parte, qua nondum vere, et realiter suum sortita sunt effectum, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores suos hactenus ad favorem quarumcumque personarum concessas, quibus eis, vel eorum sin-

gulis ullo modo, et ex quavis causa, vel praetextu permittitur fructus certos, vel incertos, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque quorumlibet beneficiorum per eos obtentorum anticipatis solutionibus, ultra unicum annum elocare, arrendere, ad firmam, vel responsionem concedere, vel eos ad favorem quarumcumque personarum quomodolibet obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut de eis quomodolibet, et ex quavis causa disponere pro tempore, ad vitam beneficiatorum, et tempus quo beneficia hujusmodi obtinuerint, minime restricto, et coarctato illorum tenore etc. Decernens irritum etc.

§. 70. Item, cum S. R. E. cardinales SS. D. N. assistant, ac propterea debeant specialibus praerogativis, et privilegiis gaudere, idem D. N. statuit, ordinavit, decrevit, et declaravit, quod in quibuscumque constitutionibus, et regulis per Sanctitatem Suam edendis non comprehendantur, neque comprehensi censeantur ipsi cardinales, nisi illae eorumdem cardinalium favorem concernant, vel constitutiones edendae de eorumdem cardinalium, vel majoris partis eorum consilio editae fuerint, seu in eisdem regulis, et constitutionibus facta fuerit ipsorum cardinalium expressa mentio.

§. 71. Item Sanctitas Sua statuit, et declaravit, quod praemissis, et quibusvis aliis regulis Cancellariae suo tempore edendis, et publicandis, numquam censeatur derogatum in quibuscumque constitutionibus, literis, brevibus, indultis, et aliis ordinationibus apostolicis, etiam motu proprio, et ex certa scientia emanatis, per quaecumque verba, et decreta derogatoria, irritantia, universalia, et amplissima, et clausulas quantumvis efficacissimas, etiam derogatoriarum derogatorias, atque specialis, et individuae expressionis vim habentes, et habentia, nisi facta fuerit de illis expressa mentio, et non aliter, nec alio modo.

§. 72. De potestate Rev. D. Vicecancellarii et Cancellariam Regentis. Primo, quod possit committere absolutionem illorum, qui ignoranter in supplicationibus, vel in literis apostolicis aliquid scriberent, corrigerent, vel delerent.

Item, quod possit corrigere nomina, et cognomina personarum, non tamen eorum, quibus gratiae, et concessiones fiunt, ac beneficiorum, dum tamen de corpore constet.

Item, quod possit omnes causas beneficiales, etiam non devolutas, committere in curia, cum potestate citandi ad partes.

Item, quod processus apostolica auctoritate decretos aggravare possit cum invocatione brachii saecularis, et sententias exe-

cutioni demandari facere contra intrusos, et intrudendos per literas apostolicas desuper conficiendas, et non alias.

Item, quod possit signare supplicationes manibus duorum referendariorum signatas, de beneficiis ecclesiasticis saecularibus, et regularibus dispositioni apostolicae generaliter non reservatis, quorum cujuslibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem librarum Turonen. parvorum, seu totidem in alia moneta secundum communem aestimationem valorem annuum non excedet.

Item, quod possit signare supplicationes, etiam duorum referendariorum manibus signatas, de novis provisionibus, si neutri, et subrogationibus pro collitigantibus, in quibus non detur clausula generalem reservationem importans.

Item, quod possit ad ordines suscipiendos arctatis prorogare terminos, de dictis suscipiendis ordinibus, usque ad proxima tunc a jure statuta tempora, in quibus sic arctati successive ad ipsos ordines promoveantur.

Placet, publicentur, et describantur L.

§. 73. Lectae, et publicatae fuerunt supradictae regulae, ordinationes, et constitutiones in Cancellaria apostolica ab uno ex RR. PP. DD. Majoris praesidentiae abbreviatoribus anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo sexagesimo nono, die vero IX. mensis Junii Pontificatus praelibati Sanctissimi Domini Nostri Clementis XIV. Anno Primo.

Thomas Antognettus Procustos.

LXXX. Specimen formulae facultatum quinquennalium pro foro conscientiae.

N. N. (Pl. Tit.) SS. D. Papae et Sedis Apostolicae Major Poenitentiarius.

Vobis Ven. in Christo Patri N. N. Moderno Episcopo Ecclesiae N. infrascriptas communicamus facultates, quibus pro Foro Conscientiae per Vos, sive per Vestrum Vicarium in Spiritualibus Generalem, dummodo in Sacro Presbyteratus Ordine sit constitutus, etiam extra Sacramentalem Confessionem pro Grege Vobis commisso, et infra fines Vestrae Dioecesis tantum, atque de speciali, in unoquoque casu exprimenda, Sedis Apostolicae auctoritate Vobis delegata, uti valeatis: easque Canonico Poenitentiario, nec non Vicariis Foraneis pro Foro pariter Conscientiae, sed in actu Sacramentalis Confessionis dumtaxat, etiam

habitualiter, si Vobis placuerit: aliis vero Confessariis, cum ad Vos sive ad praedictum Vicarium Generalem in casibus particularibus Poenitentium recursum habuerint, pro exposito casu impartiri possitis, nisi ob peculiares causas aliquibus Confessariis a Vobis specialiter subdelegandis, per tempus arbitrio Vestro statuendum, illas communicari judicabitis.

I. Absolvendi ab Excommunicatione ob manus violentas injectas in Clericos, aut Presbyteros, vel in Regulares, dummodo non fuerit sequuta mors, vel mutilatio, seu lethale vulnus, aut ossium fractio; et dummodo Casus ad Forum externum deducti non fuerint; injunctis injungendis, et praesertim, ut parti laesae competenter satisfiat.

II. Absolvendi quoscunque Poenitentes sive Viros, sive Mulieres (exceptis Haereticis publicis, sive publice Dogmaticantibus) a quibusvis Sententiis, Censuris, et Poenis Ecclesiasticis incursis ob Haereses tam nemine audiente, vel advertente, quam coram aliis externatas, ob Infidelitatem, et Catholicae Fidei abjurationem private admissas, Sortilegia, ac Maleficia etiam cum sociis patrata, nec non ob Daemonis invocationem cum pacto donandi Animam, eique praestitam Idololatriam, ac Superstitiones exercitas, ac demum ob quaecunque insinuata falsa Dogmata; postquam tamen Poenitens Complices, si quos habeat, prout de jure, denunciaverit; et quatenus ob justas causas nequeat ante absolutionem denunciare, facta a Poenitente seria promissione denunciationem peragendi cum primum, et meliori modo, quo fieri poterit; et postquam in singulis Casibus coram Absolvente haereses secrete abjuraverit; et pactum cum maledicto Daemone initum expresse revocaverit, tradita eidem Absolventi singrapha forsan exarata, aliisque mediis superstitiosis, ad omnia comburenda seu destruenda: Injuncta pro modo excessuum gravi Poenitentia salutari cum frequentia Sacramentorum, et obligatione se retractandi apud personas, coram quibus haereses manifestavit, et reparandi illa scandala.

III. Absolvendi a Censuris ob retentionem, et lectionem Librorum prohibitorum incursis, postquam tamen Poenitens Libros prohibitos, quos in sua potestate retineat, prout de jure consignaverit, seu consignare fecerit, cum congrua salutari Poenitentia.

IV. Absolvendi a Censuris incursis ob violationem Clausurae Regularium utriusque sexus, dummodo non fuerit cum intentione ad malum finem, etiam effectu non sequuto, et dummodo casus non fuerint ad Forum externum deducti, cum congrua

Poenitentia salutari. Et insuper absolvendi Mulieres tantum a Censuris et poenis Ecclesiasticis, ob violationem ad malum finem Clausurae Virorum Religiosorum incursis, dummodo tamen Casus occulti remaneant; injuncta gravi Poenitentia salutari cum prohibitione accedendi ad Ecclesiam et Conventum, seu Coenobium dictorum Religiosorum, durante occasione peccandi.

V. Absolvendi a Censuris contra Duellantes inflictis, in Casibus dumtaxat ad Forum externum non deductis: injuncta gravi Poenitentia salutari, et aliis injunctis, quae fuerint de jure injungenda.

VI. Absolvendi a casu Sedi Apostolicae reservato ob accepta munera a Regularibus utriusque sexus; injuncta Poenitenti, quando agitur de muneribus infra valorem decem scutorum, aliqua elèmosyna Absolventis judicio taxanda, et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium Religionis, cui facienda esset restitutio; dummodo tamen non constet, quod illa fuerint de Bonis propriis Religionis; quatenus vero accepta munera vel fuerint ultra valorem scutorum decem, vel constet fuisse de Bonis propriis Religionis, facta prius restitutione, quam si de praesenti adimplere nequeat, praestita in manibus Absolventis obligatione restituendi intra terminum ejus arbitrio praefiniendum, alias sub reincidentia.

VII. Absolvendi Religiosos cujuscunque ordinis (etiam Moniales, per Confessarios tamen pro ipsis a Vobis approbatos, vel specialiter deputandos) non solum a praemissis, sed etiam a Casibus et Censuris in sua Religione reservatis.

VIII. Dispensandi ad petendum Debitum Conjugale cum Transgressore Voti Castitatis, qui Matrimonium cum dicto Voto contraxerit, hujusmodi poenitentem monendo, ipsum ad idem Votum servandum teneri, tam extra licitum Matrimonii usum, quam si Marito seu Uxori respective supervixerit.

IX. Dispensandi cum Incestuoso, sive Incestuosa, ad petendum debitum conjugale, cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum Consanguinea, vel Consanguineo, sive in primo, sive in primo et secundo, sive et secundo gradu suae Uxoris, seu respective Mariti; remota occasione peccandi et injuncta gravi poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali quolibet mense, per tempus arbitrio Dispensantis statuendum.

X. Dispensandi super occulto Impedimento Primi, nec non Primi et Secundi, ac Secundi tantum gradus affinitatis ex illi-

cita carnali copula provenientis, quando agatur de Matrimonio cum dicto Impedimento jam contracto: Et quatenus agatur de copula cum suae putatae Uxoris Matre, dummodo illa secuta fuerit post ejusdem putatae Uxoris nativitatem, et non aliter: monito Poenitente de necessaria secreta renovatione Consensus cum sua putata Uxore, aut suo putato Marito, certiorato, seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius Poenitentis delictum nusquam detegatur; remota occasione peccandi, ac injuncta gravi poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali semel in mense per tempus Dispensantis arbitrio statuendum.

Item. Dispensandi super dicto occulto Impedimento, seu Impedimentis affinitatis ex Copula illicita etiam in Matrimoniis contrahendis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec Matrimonium absque periculo gravis Scandali differri possit, usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit Dispensatio; Remota semper occasione peccandi, et firma manente conditione, quod copula habita cum Matre Mulieris hujus nativitatem non antecedat; Injuncta in quolibet casu poenitentia salutari.

XI. Dispensandi super occulto Criminis Impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de Matrimonio jam contracto: monitis putatis Conjugibus de necessaria Consensus secreta renovatione, ac injuncta gravi poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali semel quolibet mense per tempus Dispensantis pariter arbitrio statuendum.

XII. Dispensandi super Impedimento Tertii, seu Tertii et Quarti, vel Quarti simplicis Gradus, sive Graduum Consanguinitatis, vel affinitatis, super quo seu quibus obtenta fuerit Dispensatio a Dataria Apostolica, et in Litteris hujusmodi Dispensationis reticita fuerit incestuosa copula, quae tamen occulta remaneat. Ac etiam Dispensandi, seu revalidandi Litteras Apostolicas ejusmodi irritas, ac nullas redditas ex Incestu, sive post petitam Dispensationem, sive post illius expeditionem, et ante respectivam executionem patrato, ac iterato usque ad eandem executionem, in casibus semper occultis, sive agatur de Matrimonio contrahendo, sive jam contracto: monitis in Matrimonio contracto putatis Conjugibus de necessaria mutui Consensus secreta renovatione; Injuncta in singulis casibus congrua Poenitentia salutari.

XIII. Absolvendi tandem a Censuris incursis eos, qui Sectae Moslonicae, Carbonariae aliisque similibus nomen dederunt,

vel favorem praestiterunt, postquam tamen a respectiva Secta omnino se separaverint, eamque in manibus Absolventis abjuraverint, libros, manuscripta, ac signa Sectam respicientia, si quae retineant, Absolventi tradiderint ad Ordinarium caute transmittenda, ac verae poenitentiae signa exhibuerint, et postquam Sectae Socios ac Magistros prout de jure denunciaverint, et quoad Carbonarios denunciaverint eos, de quibus in §. Praecipimus Bullae Ecclesiam a Jesu Christo a fel. re. Pii PP. VII. editae, et a Leone PP. XII. confirmatae: injuncta singulis pro modo culparum gravi poenitentia salutari cum frequentia Sacramentalis Confessionis, aliisque injunctis de jure injungendis.

Volumus ut supradictis facultatibus uti valeatis ad Quinquennium.

Datum Romae in Aedibus Nostris die...

(L. S.) N. Card. N.... M. P.

Gratis ubique.

LXXXI. Specimen formulae facultatum quinquennalium pro foro externo.

Facultates concessae a SS. D. N. R. D. N. N. Electo Episcopo N.

1. Absolvendi ab Haeresi et apostasia a fide et a schismate quoscunque etiam Ecclesiasticos, tam saeculares, quam regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impune grassantur haereses, deliquerunt: nec illos, qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et post judicialem abjurationem illuc reversi in haeresin fuerint relapsi, et hos in foro conscientiae tantum.

2. Tenendi et legendi libros prohibitos Haereticorum, ad effectum eos impugnandi, et alios quomodolibet prohibitos, praeter Opera Caroli Molinei, Nicolai Macchiavelli, Historiam Civilem Regni Neapolis Petri Giannone, Poema inscriptum la Pucelle d'Orleans, et librum cui titulus De l'Esprit, Istruzioni Intorno la Santa Sede tradotta de Francese 1765., Oeuvres Philosophiques de Monsieur de la Mettrie, Les Colimaçons, Abregé de l'Histoire Ecclésiastique sub mentito nomine de Fleury, Riflessioni di un Italiano sopra la Chiesa in generale, Sistême de la nature, il vero Dispotismo Londra 1770, la raison par Alphabet, Joannis Laurentii Isembiel novum Tentamen in Pro-

phetiam de Emmanuele, et libros de Astrologia Judiciaria principaliter, aut incidenter, vel alias quovis modo de ea tractantes, ita tamen, ut libri ex illis Provinciis non efferantur.

3. Dispensandi in 3. et 4. simplici, et mixto tantum nedum cum pauperibus, sed etiam cum nobilibus, et divitibus in contrahendis; in contractis vero cum Haereticis conversis, etiam in 2. simplici, et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

4. Dispensandi super impedimento publicae honestatis justitiae [justis] ex sponsalibus proveniente.

5. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, ac restituendi jus petendi debitum amissum.

6. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatam.

7. Hae vero matrimoniales dispensationes, videlicet 3. 4. 5. et 6. non concedantur, nisi cum clausula „dummodo mulier rapta non fuerit, et si rapta fuerit, in potestate raptoris non reperiatur:“ et in dispensationibus hujusmodi declaretur, illas expresse concedi tanquam a Sedis Apostolicae Delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae; alias nullae sint.

8. Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis castitatis et Religionis.

9. Dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto tantum provenientibus, excepta ea, quae ex homicidio voluntario contrahitur.

10. Absolvendi ab omnibus casibus reservatis, etiam in Bulla Coenae Domini, in locis tamen, ubi impune grassantur haereses.

11. Delegandi simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta et alia utensilia ad Sacrificium Missae necessaria, ubi non intervenit sacra unctio; et reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua ab Episcopo non benedicta.

12. Conferendi Ordines extra tempora, et non servatis interstitiis usque ad Sacerdotium inclusive.

13. Dispensandi super defectu aetatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad Sacerdotium, si alias idonei fuerint.

14. Conficiendi Olea cum quinque saltem Sacerdotibus, non tamen extra diem Coenae Domini, nisi necessitas aliud urgeat.

15. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen, ut in prima Missa non sumpserit ablutionem, per unam horam ante Auroram, et aliam post Meridiem, sine Ministro, sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi Altare sit fractum, vel sine Reliquiis Sanctorum, et praesentibus Haereticis, Schismaticis, Infidelibus, et excommunicatis, et aliter celebrari non possit. Caveat vero, ne praedicta facultate, seu dispensatione celebrandi bis in die aliter, quam ex gravissimis causis, et rarissime utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quod si hanc eamdem facultatem alteri Sacerdoti juxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui, qui a Sancta Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiae injungitur, ut paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiae, ac zeli, et qui absolute necessarii sint, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eamdem communicet, aut respective causas approbet.

16. Deferendi Sanctissimum Sacramentum occulte ad Infirmos, sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro iisdem Infirmis, in loco tamen decenti, si ab Haereticis, aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

17. Induendi vestibus saecularibus, si aliter vel transire ad loca eorum curae commissa, vel in iis permanere non poterunt.

18. Recitandi Rosarium, vel alias preces, si Breviarium secum deferre non poterunt, vel Divinum Officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

19. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum, et lacticiniorum tempore Jejuniorum, et praesertim Quadragesimae.

20. Communicandi has facultates in totum, vel in parte, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, Sacerdotibus idoneis in conversione Animarum laborantibus, et praesertim tempore sui obitus; ut Sede vacante sint, qui possint supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quam primum fieri debebit per Delegatos, aut per unum ex iis, alio modo provideat.

21. Et praedictae facultates gratis, et sine ulla mercede exerceantur, et pro tempore ad beneplacitum S. Congregationis de Propaganda Fide tantum concessae intelligantur.

22. Utendi iisdem facultatibus in locis tantum Dioecesis N.

Ex Audientia Sanctissimi habita die .. mensis ... anni ...

Sanctissimus Dominus Noster N. Div. Prov. PP... referente me infrascripto Sac. Congregationis de Propaganda Fide Secretario R. P. D. N. N. Electo Episcopo N. supradictas facultates ad beneplacitum Sacrae Congregationis benigne concessit pro locis tantum dictae Dioecesis Dominio Austriaco subjectis, et dummodo tamen iis nullo modo utatur extra fines memoratae Dioecesis.

Datum Romae ex Aedibus dictae Sacr. Congregationis die et anno quibus supra. Gratis sine ulla omnino solutione quocunque titulo.

(L. S.) N. N. Secretarius.

C) Res iudiciaria.

LXXXII. Benedicti XIV. constitutio die 26. Augusti 1741 data de electione iudicum synodalium.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis Benedictus Papa XIV.

Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Quamvis Paternae vigilantiae, qua de justitia unicuique integre, sapienterque administranda solliciti esse debemus, jamdiu innotuerit, quod Causae extra nostram Romanam Curiam, pro Litigantium commodo, ad partes (ut ajunt) committi solitae, iis quandoque decidendae, ac sine debito terminandae delegentur, qui tum congrua Juris peritia, tum quoque probitatis, spectataeque Fidei praesidio destituuntur: Acerbiori nihilominus doloris sensu perculsi fuimus, postquam hujusmodi abusum, rumore publico evulgatum, multorum querelis ad Apostolicam Sedem delatis, eorumque literis ad Nos crebro datis apertius sensimus confirmari. Rationes praeterea, et peculiares Causae dicti abusus cum Nobis plures in eisdem literis obtenderentur, eas potissimum referri perspeximus eximio Protonotariorum non Participantium numero, quibus, utpote in Dignitate Ecclesiastica constitutis, in more positum est dictas Causas delegari, licet tempore quo ad hujusmodi Dignitatis, et Officii gradum provehuntur, nulla meritorum, et qualitatum fiat diligens inquisitio,

nec sedulo examinetur, an polleant requisitis ad Jus dicendum, et Justitiae habenas moderandas necessariis.

§. 1. Quam graves curas id animo nostro ingesserit, quamve intimo moerore affecti simus, ubi aliorum res, et negotia, ob Judicum ignorantiam, et malitiam, periclitari, et in discrimen adduci rescivimus; intelliget plane cui perspectus erit ille, quo semper incensi sumus, Justitiae administrandae zelus. Sed cum silere diutius, pro commissa Nobis Populorum salute, Paterna Charitas non pateretur, et ad propulsandam hanc corruptelam, restituendamque judiciorum integritatem, congruis remediis manus admoveremus; novimus non recentes, sed obsoletas esse hujusmodi querelas, atque rem esse non de morbo nunc ingruente, sed jamdudum iuvecto: Remedia ad illum avertendum non esse modo excogitanda, sed antiquitus praestituta: Originem vero non Curiae nostrae Romanae, sed iis adscribi oportere, qui de praxi ejusdem Curiae injuste nimis conqueruntur.

§. 2. Si enim longe praeteriti temporis ratio habeatur, facile quisque conjiciet fel. record. Bonifacio Papae VIII. has querimonias fuisse suggestas, eundemque Pontificem ad implendas Apostolici regiminis partes, sua Decretali Statutum de Rescriptis in 6. consulto praescripsisse, ne a Sede Apostolica, ejusque Legatis Causae imposterum aliis delegarentur, quam Personis in Ecclesiastica Dignitate constitutis, et quibus sive Personatus, sive Canonicatus in aliqua Cathedrali Ecclesia obtigisset: Judicia praeterea non in obscuro, sed in insigni, et populoso Oppido, ac in Urbibus instrui oportere, in quibus Peritorum Judicum copia commode haberi posset. Sacro etiam Concilio Tridentino hanc ipsam imperitorum Judicum querelam propositam fuisse, fas est credere: Postquam etenim sess. 25. de Reformat. cap. 10. praemissum fuit, a Sede Apostolica Judicibus non undequaque idoneis Causas in partibus delegari, et id fieri tum ob malitiosam petentium suggestionem, tum quoque ob locorum longinquitatem, a quibus notitia Personarum, quibus Causae mandentur, haberi non potest: *Statuit eadem Sancta Synodus, in singulis Conciliis Provincialibus, aut Dioecesanis aliquot personas, quae qualitates habeant juxta Constitutionem Bonifacii VIII., et alioquin ad id aptas designari, quibus imposterum Causae committerentur; Et si aliquem interim ex designatis mori contingeret, substitueret Ordinarius Loci cum consilio Capituli alium in ejus locum, usque ad futuram Provincialem, aut Dioecesanam Synodum: Ita ut haberet quaevis*

Dioecesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas, et qualificatas Personas, quibus hujusmodi Causae committerentur; Alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmitterent, delegationes quaecumque aliorum Judicum, aliis, quam his factae, subreptitiae censerentur.

§. 3. Cum vero Concilia Provincialia quolibet Triennio, Dioecesana anno quolibet ex praescripto Tridentini cogenda, ob varia, quae obversantur impedimenta, longius protrahantur, nec Episcopis subsit quandoque certa spes, quod iis propere sublatis, dicta Concilia haberi possint, atque in illis designari novi Judices Synodales, in locum illorum, qui defecerunt: Saepe idcirco Congregatio Concilii Tridentini Interpres a Locorum Ordinariis requisita, consultissime respondit, subrogandorum Judicum electionem ab Episcopis esse faciendam cum Consilio Capituli.

§. 4. Providae igitur, et vetustae hujusmodi leges palam evincunt, antiqua esse vulnera in hac parte disciplinae illata, illaque modo recrudescere, non quia congrua desit medela, sed quia negligitur ad praescriptum Canonicarum Sanctionum Judicum Synodalium designatio, quorum notitia si Romano pro tempore Pontifici exhibita fuisset, eisdem tantummodo Judicibus facta fuisset Causarum delegatio, semota quavis querelarum occasione.

§. 5. Dum minoribus in hac Curia muneribus, atque illo praesertim Secretarii Congregationis Concilii fungeremur, nihil Nobis fuit antiquius, quam Episcopis, aliisque Ecclesiarum Praelatis hosce sensus ingerere, eosque pro viribus ad has Ecclesiasticas leges custodiendas sedulo commonere: Nunc vero imperscrutabilis Consilii altitudine ad Supremum Apostolatus fastigium licet immerentes evocati, Pastoralis officii exigit ratio, ut nostris hisce literis certa vobis imposterum methodus praescribatur, ad quamcumque dubiorum, et querelarum occasionem avertendam. Volumus itaque, et mandamus, quod in iis Dioecesibus, in quibus vigiles Ecclesiarum Antistites ad tramites Tridentinae Synodi Judices elegerunt in Conciliis sive Provincialibus, sive Dioecesanis, electorum Nomina quamprimum Nobis renuncient; et si forte unum, vel plures illorum mori contingat, antequam denuo eadem Concilia cogantur, decedentibus subrogentur novi Judices, eligendi ab Episcopo cum Consilio Capituli, qui Nomina subrogatorum in dicto munere, usque ad diem Synodi duraturo, Nobis itidem significent. Ubi vero Concilia

Provincialia, et Synodalia jamdiu coacta non sunt, nec ulla idcirco facta dignoscitur Judicum electio: pro injuncta humilitati nostrae omnium Ecclesiarum solicitudine, Archiepiscopos, et Episcopos in Domino jugiter hortamur, et obtestamur, ut sublatis quibusvis impedimentis, eadem Concilia, sicubi commissa sunt, quamprimum haberi curent; interim vero cum consensu suorum Capitulorum Judices eligant, et Nomina Electorum in Albo redacta Nobis remittant; et si mori aliquem contingat, alios cum Consilio Capituli sufficiant, suffectosque Nobis indilate denuncient. Quo autem ad Numerum eligendorum, etsi Tridentini Decreto cautum sit, quatuor saltem in unaquaque Dioecesi eligi debere, plures nihilominus eligi volumus, si Dioecesis amplitudo, aliaeque peculiares circumstantiae id probe exposcere videantur.

§. 6. Monitos tamen esse volumus Locorum Ordinarios, quod licet ad tramites praemissae Decretalis Bonifacii VIII., cui etiam consona sunt disposita a Tridentino, facultas judicandi tribuenda sit Personis, Dignitate aliqua Ecclesiastica, Personatu, vel Canonicatu Cathedralis Ecclesiae insignitis; hujusmodi qualitates ita esse accipiendas, ut non desit in persona ad hoc munus assumenda, altera potissimum requisita qualitas Doctrinae, et idoneitatis, in qua summa Negotii est constituta. Hoc pacto designati, et electi Judices Nostro Supplicum Libellorum Secretario denuncientur ab Ordinariis, vel immeditate per se ipsos, vel mediate per suos in Urbe Negotiorum Gestores: Nostraeque erit vigilantiae solerter cavere, ne imposterum ab Officialibus nostrae Curiae ad id Deputatis, Causae aliis, quam dictis Judicibus, delegentur. Quae quidem dum Vobis, Venerabiles Fratres, per haec Apostolica scripta nota esse volumus, in felicitatis auspicium, et paternae dilectionis pignus, Apostolicam Benedictionem vobis impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 26. Augusti 1741. Pontificatus Nostri Anno II.

LXXXIII. Benedicti XIV. constitutio tertio Kal. Aprilis 1742 data de appellationibus et inhibitionibus concedendis vel denegandis.

Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Ad militantis Ecclesiae regimen nullo meritorum Nostrorum suffragio, sed imperscrutabilis consilii altitudine evocati,

inter graves curas, quas assidue pro Nostro munere sustinemus, postrema illa non est, in quam totis viribus Nobis incumbendum esse ducimus, ut graves nimium, diuturnae, nulloque unquam tempore intermissae Episcoporum, aliorumque ordinariam Jurisdictionem habentium querelae adversus Majora Tribunalia, atque illa etiam Nostrae Romanae Curiae, propositae, tandem compescantur.

§. 1. Intimo siquidem animi Nostri moerore, cum in minoribus adhuc essemus, jamdiu intelleximus, plerosque Locorum Ordinarios conqueri, sensim abusum irrepsisse, quod ad malitiosam petentium suggestionem, a Patriarchis, Metropolitanis, Sanctae Sedis a latere Legatis, et diversis dictae Romanae Curiae Judicibus, Inhibitiones sine delectu Causae, et rei, de qua agitur, examine, passim concedantur; Et quamvis in more positum sit, dictas Inhibitiones indebite expeditas pro causae meritis revocari, et aboleri; remedium tamen inflicto vulneri non satis esse dicunt, cum interea oporteat Episcopos, aliosque inferiores Judices, in ipso causarum, et Judiciorum cursu, otiosos immorari, jus suum judicialiter asserere, et vindicare, et ad continendos in officio Populos gravia saepe incommoda, et dispendia subire.

§. 2. E contrario Nobis quoque, dum etiam in minoribus essemus, Superiorum Judicum responsiones audire contigit, asserentium, memoratas querelas inanes esse, nec ulli innixas fundamento, utpote ex hac unica re causam, et originem habentes, quod inferioribus grave est obedientiae, ac subjectionis jugum erga majora Tribunalia, ipsisque nimis displicet, sibi subditis appellationis beneficio succurri.

§. 3. Porro cum facile haec dissidia componi, et succrescentia litium semina avelli possint; si, quae a Sacra Tridentina Synodo, ab Apostolicis Constitutionibus, et Congregationum Decretis provide sancita sunt, debitae executioni mandentur: Nos idcirco ad conservandam Ecclesiae disciplinam, restituendamque Tribunalibus formam eisdem canonicis legibus consentaneam, pro credito Nobis Apostolicae servitutis Officio, opportune duximus consulendum.

§. 4. Inhaerentes itaque Decretis ejusdem Sacri Concilii, necnon Congregationis Episcoporum, et Regularium, jussu, et approbatione rec. mem. Clementis PP. VIII. Praedecessoris Nostri alias editis die XVI. Octobris MDC.; Itemque aliis Congregationis particularis, jussu pariter, et approbatione fel. rec.

Urbani PP. VIII. similiter Praedecessoris Nostri, promulgatis die V. Septembris MDCXXVI. eorumque declarationibus nuper superadditis a piae mem. Benedicto XIII. etiam Praedecessore Nostro in Appendice Concilii Romani; aliisque Apostolicis Constitutionibus, hac de re alias editis, et innovatis, et praesertim Constitutioni piae mem. Gregori XV., quae incipit: Inscrutabili, sub Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae MDCXXII. nonis Februarii.

§. 5. Districte praecipimus, et mandamus, ne deinceps ab exequutione Decretorum dicti Sac. Concilii Tridentini, in omnibus illis causis, et negotiis, in quibus exequutio hujusmodi Episcopis, et Locorum Ordinariis, etiam uti Sedis Apostolicae Delegatis, ab eodem Sacro Concilio, vel dictis Apostolicis Constitutionibus, appellatione, vel inhibitione quacumque postposita, commissa est, appellatio aliqua in Tribunalibus praedictis recipiatur, vel Inhibitiones, Citationes generales, vel speciales, cum Commissione inserta, Monitoria, et alia hujusmodi, per quae dictorum Decretorum exequutio retardetur, aut Processus ad ulteriora in eadem exequutione suspendatur, aut impediatur, quoquo modo concedantur.

§. 6. Itaque a quibuscumque Mandatis, prohibitionibus, provisionibus, et statutis tam in Visitatione, quam extra, pro Divino Cultu conservando, et augendo, et praesertim circa ea, quae observanda, et evitanda sunt in celebratione Missae, aut alio quovis modo respiciunt exequutionem Decreti Sac. Concilii Sess. 21. de Reform. cap. 8., et sess. 22. in Decret. de observ. et evit. in celebrat. Miss.

§. 7. Item a Decretis cogentibus Clericos tam Saeculares, quam Regulares, etiam Monachos, et exemptos, ad publicas Processiones, servata tamen forma Constitutionis san. mem. Pii V., quae incipit: Et si Mendicantium: Prout etiam a Decretis, et provisionibus super praecedentia inter Personas Ecclesiasticas, tam Saeculares, quam Regulares in eisdem Processionibus, vel associatione Defunctorum, delatione Umbellae, et hujusmodi: Necnon super observatione Censurarum, etiam Episcopalium, et Festorum Dioecesis, juxta dispositionem ejusdem Sacri Concilii sess. 25. de Regular. cap. 12. et cap. 13.

§. 8. Item in omnibus iis, quae ad curam Animarum, et Sacramentorum administrationem quoquo modo pertinent, et praesertim adversus Monitiones, Censuras, aut alias provisiones, per quas Parochi, aut alii Curam Animarum exercentes,

diebus saltem Dominicis, et Festis solemnibus Plebes sibi commissas salutaribus verbis pascere compellantur, docendo ea, quae ad salutem necessaria sunt, juxta Decretum Sacri Concilii sess. 5. de Reform. cap. 2.

§. 9. Item adversus deputationem Vicariorum etiam perpetuorum, cum assignatione Congruae, per quos Cura Animarum exerceatur, quoties plura Beneficia Curata ex Dispensatione Apostolica ab aliquo obtineantur; vel quoties eadem Beneficia Curata Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, Beneficiis, seu Collegiis, aut piis Locis quibuscumque perpetuo unita, et annexa reperiuntur; juxta praescriptum dicti Sacri Concilii sess. 7. de Reform. cap. 5. et c. 7., et juxta Constitutionem san. mem. Pii V. quae incipit: Ad exequendum.

§. 10. Item adversus Visitationem Beneficiorum Curatorum, ut supra, perpetuo unitorum, necnon quarumcumque Ecclesiarum quomodolibet exemptarum, prout etiam adversus Decreta, et provisiones ab Ordinario capiendas, ut quae in eis reparatione indigent, reparentur, et Cura Animarum, si qua illis imminet, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur, juxta dispositionem Sacri Concilii eadem sess. 7. de Reform. cap. 8., et sess. 21. cap. 7.

§. 11. Item a Decretis, seu Mandatis, per quae Episcopi etiam uti Apostolicae Sedis Delegati, in Ecclesiis Parochialibus, aut Baptismalibus, in quibus Populus ita numerosus est, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, et Cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, et Cultum Divinum celebrandum: Aut etiam invitis Rectoribus, procedant ad constitutionem novarum Parochiarum, cum assignatione competentis portionis, ubi ob locorum distantiam, sive difficultatem, Parochiani, sine magno incommodo, ad percipienda Sacramenta, et Divina Officia audienda accedere non possunt; vel denique propter paupertatem, et in caeteris casibus a jure permissis, deveniat ad uniones perpetuas aliorum Beneficiorum simplicium, non tamen Regularium, juxta dispositionem Sacri Concilii sess. 21. de Reform. cap. 4. et cap. 5. et sess. 24. similiter de Reform. cap. 13.

§. 12. Item a deputatione Coadjutorum, aut Vicariorum pro tempore, vel aliis provisionibus ab Episcopo capiendis, etiam

tanquam Apostolicae Sedis Delegato, quando illiterati, et imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores sacris minus apti sunt officiis; cum assignatione partis fructuum pro sufficienti illorum victu: Necnon a suspensione, atque etiam a privatione illorum, qui turpiter, et scandalose vivunt, et postquam praemoniti sunt, in sua nequitia incorrigibiles perseverant, juxta praescriptum ejusdem Concilii d. sess. 21. de Reform. cap. 6.

§. 13. Item a translatione Beneficiorum simplicium, etiam Jurispatronatus, ex Ecclesiis, quae vetustate, vel alias collapsae sint, et ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in Matrices, aut alias Ecclesias, cum omnibus emolumentis, et oneribus: prout etiam a Decretis cogentibus Patronos, Rectores, Beneficiatos, aut Parochianos, sive Populum, ad refectionem, et instaurationem Ecclesiarum Parochialium, servata forma Sacri Concilii d. sess. 21. cap. 7.

§. 14. Item a censuris, sequestratione, et subtractione fructuum, aut aliis quibuscumque provisionibus, pro cogendis ad residentiam Parochis, caeterisque omnibus, quibus Cura Animarum incumbit, juxta Decretum ejusdem Sacri Concilii sess. 23. de Reform. cap. 1.

§. 15. Item a denegatione, revocatione, suspensione, vel restrictione, et limitatione facultatis audiendi Confessiones, respectu eorum, qui Parochiale Beneficium non obtinent, etiam si fuerint Regulares, pro excipiendis Confessionibus Saecularium, juxta ordinationem Sacri Concilii sess. 23. cap. 15., et Praedecessorum Nostrorum Constitutiones, ac praecipue illam fel. rec. Clementis X., quae incipit; Superna.

§. 16. Item in illis Civitatibus, aut Locis, ubi vel Parochiales Ecclesiae certos non habent fines, nec earum Rectores proprium Populum, quem regant, sed promiscue petentibus Sacramenta administrant, vel etiam nullae sunt Parochiales, a divisione, seu distinctione Parochiarum, earumque ordinatione, sive institutione in titulum perpetuum, juxta Decretum Sacri Concilii sess. 24. de Reform. cap. 13.

§. 17. Item a deputatione Vicarii, vel Oeconomi, cum assignatione Congruae, pro tempore, quo vacat Ecclesia Parochialis: Prout etiam ab indictione Concursus, relatione examinatorum, necnon praelectione, et provisione Episcopi in eodem Concursu, juxta definitionem Sacri Concilii eadem sess. 24. de Reform. cap. 18.

§. 18. Item a Mandatis, seu Decretis inhibentibus prae-

dicationem, vel publicas lectiones, aut coercentibus, vel punientibus quoscumque, etiam exemptos, tam Seculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, et in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint; juxta decretum Sacri Concilii sess. 5. de Reform. cap. 2., et sess. 24. similiter de Reform. cap. 4. et Constitutionem piae mem. Gregorii XV., quae incipit: Inscrutabili §. fin. una cum declarationibus contentis in Constit. Clementis PP. X., quae incipit: Superna.

§. 19. Et generaliter in omnibus iis, quae pertinent ad Curam Animarum, et rectam Sacramentorum administrationem, adversus visitationem, correctionem, coercitionem, et quascumque alias provisiones Episcopi Dioecesani, etiam quoad exemptos, sive Saeculares, sive Regulares, juxta laudatam Constitutionem Gregorii XV., quae incipit: Inscrutabili.

§. 20. Item adversus quascumque Provisiones, et Decreta pro conservanda, aut restituenda clausura Sancti-Monialium, aut pro correctione, seu punitione eorum, qui circa Personas intra Monasteria degentes, aut circa Clausuram, vel circa Bonorum administrationem deliquerint. Prout etiam ab examine pro approbatione, vel reprobatione Confessariorum sive Regularium, Sive Saecularium, quomodocumque exemptorum, et tam ordinariorum, quam extraordinariorum, pro excipiendis Confessionibus Monialium, etiam Regularibus subjectarum: Itidemque a Decretis, vel aliis quibuscumque provisionibus co gentibus Administratores, sive Saeculares, sive Regulares quomodolibet exemptos, ad reddendam singulis annis rationem Bonorum ad Monasteria Sancti-Monialium hujusmodi pertinentium: Ac demum a quibuscumque Decretis super amotione Capellanorum, Sacristarum, et aliorum quorumcumque Officialium, et Ministrorum, tam Saecularium, quam Regularium, ipsius Monialibus, vel eorum Ecclesiis inservientium, juxta dispositionem Sacri Concilii sess. 25. de Regular. et Monial. cap. 5. cap. 9. et cap. 10. servata tamen, quoad Regulares, et exemptos, forma praedictae Constitutionis rec. m. Gregorii XV., quae incipit: Inscrutabili.

§. 21. Item adversus pastoralem Visitationem Dioecesis, et praesertim Monasteriorum Commendatorum, Abbatiarum, Prioratuum, et Praeposituraram, in quibus non viget Regularis Observantia, necnon Beneficiorum, tam Curatorum, quam non Curatorum Saecularium, et Regularium qualitercumque com-

mendatorum, etiam exemptorum: Prout etiam ab exequutione eorum, quae in ipsa Visitatione mandata, decreta, aut judicata fuerint. Necnon similiter a quibuscumque Decretis, et Provisionibus, etiam extra Visitationem, pro conservatione, vel reparatione Ecclesiasticae Disciplinae, quoad vitam, mores, et honestatem quorumcumque Clericorum, luxum, comessationes, choreas, lusus, crimina, et saecularia negotia fugienda, atque evitanda; juxta plura Decreta dicti Sacri Concilii, et praesertim sess. 6. de Reform. cap. 4. sess. 13. cap. 1. sess. 14. cap. 4. sess. 21. cap. 8. sess. 22. cap. 1., et cap. 8., et sess. 24. cap. 10. ad formam tamen Decretorum Sac. Congr. Episcoporum de mandato san. mem. Clementis VII. editorum Ann. MDC.

§. 22. Item a Decretis cogentibus Praesentatos, electos, vel nominatos a quibusvis Ecclesiasticis Personis, etiam Nostris et Sedis Apostolicae Nunciis, ad quaevis Ecclesiastica Beneficia, ad se subjiciendum examini Ordinarii, antequam instituantur, confirmentur, vel admittantur, quemadmodum cavetur sess. 7. de Reformat. cap. 13.

§. 23. Item a denegatione Sacrorum Ordinum, vel adscensus ad alios Majores; prout etiam adversus suspensionem ab Ordinibus jam susceptis, ob crimen occultum, sive ex informata conscientia, juxta dispositionem Sacri Concilii sess. 14. de Reform. c. 1. et cap. 3. et sess. 21. cap. 1. et sess. 23. cap. 16.

§. 24. Item a praefixione termini, intra quem Regularis Episcopo non subditus, qui intra Claustra Monasterii degat, et extra ea ita notorie deliquerit, ut Populo scandalo sit, a suo Superiore puniri debeat, ac de punitione ipse Episcopus certior fieri, juxta Decretum Sacri Concilii sess. 25. de Regular. cap. 14., et Const. fel. recor. Clementis PP. VIII., quae incipit: Suscepti muneris: Necnon adversus punitionem, et correctionem eorumdem Regularium, qui circa Personas intra septa degentes, aut circa Clausuram ipsam deliquerint; juxta praedictam Constitutionem Gregorii XV., quae incipit: Inscrutabili.

§. 25. Item a Censuris, aut aliis provisionibus contra Concubinarios, et praesertim Clericos etiam retinentes domi, aut extra, Mulieres suspectas; juxta praescriptum Sacri Concilii sess. 24. de Refor. Matrim. cap. 8. et sess. 25. de Refor. cap. 14.

§. 26. Item adversus privationem Privilegii Fori, et alias provisiones contra Clericos non incedentes in habitu, et tonsura, et in aliis casibus a Sacro Concilio praescriptis sess. 14. de Reform. cap. 6. et sess. 23. similiter cap. 6.

§. 27. Prout etiam ab examine, approbatione, vel reprobatione Patrimonii Sacri, Pensionis Ecclesiasticae, aut beneficii, quoad Clericos promovendos ad Sacros Ordines; juxta dispositionem ejusdem Concilii sess. 21. de Reform. cap. 2.

§. 28. Item adversus convocationem Capituli, quam faciat Episcopus ad aliquid deliberandum, et juxta vota ipsorum Capitularium concludendum, quoties de re ad suum, vel suorum commodum spectante non agatur; juxta Decretum Sacri Concilii sess. 25. de Reform. cap. 6.

§. 29. Item a Mandatis, seu Decretis super conversione tertiae partis fructuum, et quorumcumque proventuum, et obventionum, tam Dignitatum, quam Canonicatuum, Personatuum, portionum, et officiorum, in distributiones quotidianas, earumque divisione inter Dignitates obtinentes, et caeteros Divinis interessentes, in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones hujusmodi quotidianae, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur; juxta Constitutionem ejusdem Concilii sess. 21. de Reformat. cap. 3. et sess. 22. similiter de Refor. cap. 3.

§. 30. Item adversus exercitium facultatum Episcopis competentium super executione omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, in casibus a Jure concessis, juxta dispositionem Sacri Concilii sess. 22. de Reform. cap. 8.

§. 31. Item a Visitatione Hospitalium, Collegiorum quorumcumque, et Confraternitatum Laicorum, Eleemosynarum, Montium Pietatis, sive Charitatis, et omnium Piorum Locorum quomodocumque nuncupatorum, etiamsi eorum Cura ad Laicos pertineat, aut exemptionis Privilegio sint munita: Ac denique a cognitione, et exequutione eorum omnium, quae ad Dei Cultum, aut Animarum salutem, seu Pauperes sustentandos instituta sunt juxta dictum Decretum Sacri Concilii sess. 22. de Reform. cap. 8.

§. 32. Item a Decretis, seu Mandatis cogentibus Administratores tam Ecclesiasticos, quam Laicos, etiam exemptos, Fabricae cujusvis Ecclesiae, etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, Eleemosynae, Montis Pietatis, et quorumcumque Piorum Locorum, ad reddendam singulis annis ipsi Ordinario rationem suae administrationis, nisi aliud in institutione, et ordinatione talis Ecclesiae, seu Fabricae expresse cautum fuerit; juxta Decreta Sacri Concilii sess. 7. de Reform. cap. 15. et sess. 22. cap. 9. et sess. 25. cap. 8.

§. 33. Item a Decretis compellentibus Notarios, etiam Apostolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creatos, et scribentes in Causis Ecclesiasticis, vel Spiritualibus, ad se subjiciendum examini : Eorumque remotione, vel suspensione in casu delicti, vel imperitiae; juxta praescriptum Sacri Concilii dicta sess. 22. cap. 10.

§. 34. Item ab erectione Seminarii, et taxatione quarumcumque Dignitatum, Personatuum, Officiorum, Praebendarum, Portionum, Abbatiarum, et Prioratuum cujuscumque Ordinis, etiam Regularis, Hospitalium, quae dantur in titulum, vel administrationem, et Beneficiorum quorumcumque, etiam Regularium, etiam Jurispatronatus, etiam exemptorum, etiam nullius Dioecesis, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, et aliis quibusvis Locis piis, etiam exemptis, annexorum, ac quorumcumque aliorum Ecclesiasticorum reddituum, seu proventuum ad Fabricas Ecclesiarum, Confraternitates, et Monasteria omnia, non tamen Mendicantium, pertinentium, necnon Decimarum quacumque ratione ad Laicos, atque etiam Milites cujuscumque Militiae, aut Ordinis, Hierosolymitano excepto, spectantium, pro ejusdem Seminarii manutentione: Prout etiam ab unione, et applicatione aliquot Beneficiorum simplicium; necnon a Decretis cogentibus eos, qui Scholasterias obtinent, vel quibus lectionis, vel Doctrinae munus est annexum, ad docendum per se ipsos, vel idoneos Substitutos; et generaliter a Mandatis, et provisionibus, quae quoquo modo respiciunt Curam, directionem, et administrationem Seminarii, plenamque exequutionem Decreti editi a Sacro Concilio super Collegio Puerorum in singulis Cathedralibus instituendo, sess. 13. de Reform. cap. 18.

§. 35. Item a Mandatis, seu Decretis cogentibus Oeconomos, Vicarios Capitulares, ad reddendam rationem Administrationis per eos gestae Sede Episcopali vacante, juxta praescriptum Sacri Concilii sess. 24. de Reform. cap. 16.

§. 36. Item a comminatione excommunicationis a Jure latae, et a Sententia excommunicationis latae ab homine, suspensionis, et interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis: Et e converso a Sententia absolutionis ab eisdem Censuris Ecclesiasticis.

§. 37. Et generaliter ab exequutione aliorum quorumcumque Decretorum dicti Sacri Concilii Tridentini, Episcopis, atque Ordinariis locorum demandata ab ipso Concilio, et in Constitutione fel. rec. Pii Papae IV. quae incipit: Benedictus Deus.

§. 38. Volumus, praecipimus, et mandamus, quod ab Ar-

chiepiscopis, Patriarchis, seu Primatibus, aliisque Judicibus Ecclesiasticis, etiam Nostris et Sedis Apostolicae Nunciis, vel de latere Legatis, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, atque etiam Camerae nostrae generali Auditore, Signaturae Justitiae Praefecto, caeterisque Judicibus Romanae Curiae, eorumque Vicariis, et Officialibus, Citationes generales, vel speciales cum Commissione inserta, Monitoria, et alia hujusmodi cum Inhibitione, per quam exequutio Decretorum, Mandatorum, et Provisionum hujusmodi retardetur, suspendatur, aut impediatur, minime concedantur, et quatenus nunc, aut imposterum concessa fuerint, nullatenus inhibeant, atque ab Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis impune sperni possint; quacumque Consuetudine etiam immemorabili, vel quovis Privilegio, aut stylo concedendi Inhibitiones in Causis praedictis, tametsi temporarias, penitus exclusis. Nos enim Citationes, et Monitoria, aliter quam ut praefertur, concessa, vel imposterum concedenda, nulla, atque irrita declaramus, et pro nullis, atque irritis haberi volumus, et mandamus: Decernentes, quod adversus Decreta, Mandata, et Provisiones ejusmodi, quas, vel quae ab Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis fieri, vel capi contigerit in Causis, et negotiis praedictis, vel simplex dumtaxat, et extrajudicialis Recursus per viam supplicis libelli, ad Nos, et Successores nostros Romanos Pontifices, vel respective, et juxta Causarum naturam, et qualitatem, Appellatio ad quos de Jure, in solo devolutivo, et sine retardatione, vel praejudicio legitimae exequutionis, recipi, et admitti possit.

§. 39. Quoniam vero in hisce ipsis negotiis, et Causis, in quibus Inhibitiones Canonicam exequutionem impedientes, aut suspendentes, concedi non debent, dari possunt casus, qui per ipsum Sacrum Concilium Tridentinum, vel juxta ejus Mentem, per Apostolicas Constitutiones, et Sacrarum Congregationum declarationes, aut communem Doctorum Sententiam, a praefata generali regula de non concedendis Inhibitionibus, eisque posthabendis, excipiuntur, quique ut plurimum non aliter, quam prudenti Judicis arbitrio secundum particulares Facti circumstantias aestimari possunt: Hinc Nos, ne sub ejusmodi praetextu, Inhibitiones, ut supra prohibitae, vulgo, et sine ullo delectu etiam in Casibus non exceptis concedantur: Statuimus, et mandamus, quod in dictis Causis, et negotiis superius expressis, Metropolitani, Patriarchae, Primates, aliique Judices praedicti, et praesertim Camerae nostrae generalis Auditor, ejusque Locum-

tenentes, et Signaturae Justitiae Praefectus, ejusque Auditor, ad quos in contingenti casu pro obtinenda Inhibitione recursum haberi contigerit, etiamsi afferatur, casum illum a Sacro Concilio, vel Apostolicis Constitutionibus, quacumque de Causa exceptum esse: Nihilominus literas Citatorias, vel Monitorias cum Inhibitione hujusmodi non concedant, nisi prius et facti circumstantiis, in supplici libello a Parte recurrente clare ac dilucide exponendis, et cum aliquo documento semiplene saltem verificandis, eisdem summarie apparuerit, casum illum esse de exceptis, et propterea Episcopo, vel Ordinario Loci inhibendum esse, ne ad ulteriora procedat; Tunc enim, et non alias, et postquam ipsi Judices, quorum conscientiam hac in parte oneramus, super dicto supplici libello manu sua rescripserint, quod Inhibitio concedi potest, libellusque cum rescripto ejusmodi in Actis productus fuerit, diligenter ibidem custodiendus, et asservandus, liceat eorum Notariis, sive Actuariis literas Citatorias cum dicta Inhibitione expedire, et Parti recurrenti tradere, ita tamen, ut in earum calce expresse adjiciatur sequens clausula: *Nos enim, attentis Juribus, et supplici libello Nobis praesentatis, atque in Actis exhibitis, sic, ut praefertur, inhibendum esse, speciali Rescripto mandavimus:* Alias literae ejusmodi sine tali clausula nullam vim inhibendi habeant in casibus praedictis.

§. 40. Et nihilominus si Notarii, sine dicto speciali Rescripto super supplici libello, aut sine productione illius in Actis, aut sine praedicta clausula, Citationes ullas, aut Monitoria cum inhibitione, sub quocumque praetextu, seu colore, expedire, ac tradere praesumpserint, etiamsi illae, aut illa a Judice subscripta fuerint, poenam infamiae, et perpetuae inhabilitatis, ad Officium Notarii in Causis Ecclesiasticis exercendum, et quoad illos Camerae Nostrae generalis Auditoris, aut aliorum Romanae Curiae Judicum superius expressorum, etiam quinquaginta ducatorum auri de Camera, pro una medietate Camerae Nostrae Apostolicae, et pro alia ipsi Parti recurrenti, et in causa interesse habenti, sin minus alicui ex Locis Piis, arbitrio Nostro, Nostrorumque Successorum destinando, applicandam, ipso facto incurrant.

§. 41. Ad haec, similiter inhaerentes dispositioni ejusdem Sacri Concilii sess. 7. de Reform. cap. 14., et sess. 14. cap. 5., necnon etiam decreto Piae mem. Benedicti XIII. hac in re promulgato inter ejus additiones ad decreta Urbani Papae VIII. in appendice ad Concilium Romanum, volumus, et mandamus, quod Clerici Saeculares, aut Regulares extra Monasterium degentes,

quomodolibet exempti, in Civilibus Causis Mercedum, et miserabilium Personarum, etiamsi certum Judicem a Sede Apostolica deputatum in partibus habeant: In aliis vero, si ipsum Judicem non habuerint, coram Locorum Ordinariis, tanquam ab ipsa Sede delegatis, conveniri in prima instantia, et Jure medio ad solvendum debitum cogi possint.

§. 42. Quo vero ad Personas non exemptas, inhaerendo similiter dispositioni ejusdem Sacri Concilii sess. 13. de Reform. cap. 1., et sess. 22. cap. 7., et sess. 24. cap. 20. necnon supradictis Decretis generalibus Congregationis Episcoporum editis anno MDC. cum novissimis additionibus, seu declarationibus Piae mem. Benedicti XIII. in Appendice Concilii Romani; Volumus, statuimus, et mandamus, quod Causae omnes, tam Civiles, quam Criminales, ad Forum Ecclesiasticum pertinentes, exceptis Privilegiatis, quae ex eodem Concilio, vel alias juxta Canonicas Sanctiones apud Nos, et Sedem Apostolicam tractari possunt, aut debent, coram Ordinariis Locorum dumtaxat, in prima Instantia cognoscantur, neque a Metropolitanis, Patriarchis, aut Primatibus, aliisque Judicibus Ecclesiasticis, etiam Nostris et Sedis Apostolicae Nuntiis, vel de latere Legatis, aut Camerae Nostrae generali Auditore, et caeteris quibuslibet Curiae nostrae Judicibus ad se avocari, vel aliis committi possint; nisi per viam legitimae appellationis, et in casibus ut supra non prohibitis, ad ipsorum Tribunalia deferantur.

§. 43. Appellationes autem non recipiantur, neque inhibitiones vigore illarum concedantur, nisi prius constiterit, quod nedum per legitimam Personam, et intra legitima tempora vere appellatum fuerit; Sed etiam, quod appellatum fuerit a Sententia definitiva, vel habente vim definitivae, aut a gravamine, quod per definitivam Sententiam reparari non possit: Idque per publica Documenta, quae realiter in Actis exhibeantur; Tunc enim et non antea, Judici, ad quem appellatum fuerit, in Causa se intromittere, citationes, et inhibitiones concedere liceat; dummodo tamen concedantur cum inscriptione tenoris Sententiae, aut Decreti definitivi, seu vim definitivae habentis, vel damnum per definitivam irreparabile inferentes; Alias citationes, Processus, et inde sequuta quaecumque, sint ipso Jure nulla, atque impune sperni possint.

§. 44. Quod si appellans asserat, Sententiae, aut Decreti Exemplum authenticum, culpa Judicis a quo, vel Notarii, sive Actuarii, habere non posse, tunc saltem copiam simplicem Sen-

tentiae, seu Decreti, in Actis producere teneatur, ejusque tenori, in literis Inhibitorialibus inserto adjicienda erit, prout adjici volumus, et mandamus, in earum corpore expressa conditio: *Quatenus tamen tenor insertus vere, et in substantialibus cum Originali concordet, eodemque Originali praesentes literae sint in tempore posteriores, alioquin nullae, et irritae censeantur:* Et si secus factum fuerit, inhibitiones aliter concessae nullatenus afficiant, et Notarii, sive Actuarii, qui illas expediverint, incidant in poenas superius expressas.

§. 45. Cum vero a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, appellatum fuerit, si quidem res sit de carceratione jam sequuta cum Mandato verbali, non aliter expediri poterunt Inhibitiones vigore Appellationis, quam constito prius de ipsa carceratione per depositionem saltem duorum Testium. Interim tamen Appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, donec aliter ser. ser. judicatum fuerit. Ubi vero agatur de censuris jam prolatis, vel de comminatione Carcerationis, Torturae, aut Censurarum, observetur omnino dispositio dictorum Decretorum Congregationis Episcoporum sub rec. mem. Clemente VIII., juxta additiones, et declarationes piae me. Benedicti XIII.

§. 46. Ulterius in praedictis Causis in prima Instantia pendentibus, vel aliis superius expressis, in quibus non admittitur appellatio in suspensivo, Citationes, quae expediri solent coram Cardinali Signaturae Justitiae Praefecto, vel effectum comparendi, vel pro adeundo eamdem Signaturam, tametsi ab ejus Auditore subscriptas, vim inhibendi nullatenus sortiri posse volumus, easque ad praedictos alios dumtaxat effectus, comparendi scilicet, vel adeundi Signaturam, expeditas censeri, non autem ad retardandam exequutionem, vel suspendendum processum ad ulteriora.

§. 47. Denique quoad Causas privilegiatas, quae, ut praefertur, in prima etiam Instantia apud Nos, et Sedem Apostolicam tractari possunt, nihil ex antiquo mutandum esse volumus, sed Monitoria in illis coram Camerae nostrae generali Auditore, vel ejus Locumtenentibus, prout hactenus laudabiliter observatum est, expedienda esse, juxta praescriptum Apostolicarum Constitutionum, et praesertim fel. rec. Pauli V. Praedecessoris Nostri in Constitutione, quae incipit: Universi, necnon praedictarum additionum, et declarationum Benedicti XIII., exceptis tamen Monitoriis intimandis ultra Montes, in quibus ad evitanda scandala, et litigantium incommoda, volumus omnino renovari,

et observari stylum, qui olim in eo Tribunali vigebat, idest, quod ad ejusmodi Monitoriorum expeditionem non aliter procedatur, quam oblato prius ipsi Auditori, vel aliter, alteri ex ejus Locumtenentibus, coram quo Monitorium expediendum erit, supplici Libello universam Facti speciem clare, et dilucide continente, et praevio etiam ejusdem Judicis rescripto, quod Monitorium expediri possit, penes Causae Notarium, vel Actuarium, diligenter custodiendo. Et si aliter, quam praefertur, et absque dicto supplici libello, ac speciali Judicis rescripto, dicta Monitoria ultra Montes intimanda expedita fuerint, Notarius, sive Actuarius, et Substitutus, qui illa expediverit, ipso facto incidat in poenas superius expressas.

§. 48. Omnia, et singula hactenus a Nobis disposita ad rectam Judiciorum methodum restituendam, eo impensius ab omnibus exacte custodiri, et observari mandamus, quo clarius constat, hac nostra Constitutione non novas ferri, sed antiquas instaurari leges, provide, sapienterque institutas, et temporum injuria, ac hominum fraude obsoletas, et novo Pontificiae auctoritatis praesidio communiri ordinem procedendi in Causis, jamdiu praescriptum Superioribus, et Inferioribus Tribunalibus a Sacra Tridentina Synodo, Congregationum Decretis, et Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, aliisque Ordinationibus Apostolicis. Ideoque si ipsi Judices, omni semoto, ut par est, humanae cupiditatis affectu, prae oculis solum habuerint, quae tam maturo, tamque saluberrimo sunt constituta et ordinata consilio, facile eorum quilibet agnoscet, quae sui, et quae alieni Ministerii partes esse debeant in admittendis, ac respective rejiciendis Causarum Appellationibus, et Inhibitionibus: Atque ita fiet, ut non solum unicuique in suo ordine debita Jurisdictionis, et auctoritatis, praerogativa servetur; Sed etiam ut, extinctis prorsus, ac radicitus avulsis omnium contentionum, et discordiarum seminibus, mutuo charitatis vinculo Tribunalia socientur, et inter illa recte agendi disciplina Christiano Populo utilis, et necessaria restituatur.

§. 49. Demum ut, exemplo Nostro, omnes praemissorum executioni caute, et pro viribus incumbant, et ut praesertim Notariis, Tabellionibus, et eorum Actuariis, et Substitutis omnis contraveniendi ansa praecidatur, volumus, et expresse mandamus, Processus, et Acta Causarum in Nostra Romana Curia coram quovis Judice pendentium, ac Inhibitiones, Appellationes, Monitoria, aliasque Citatoriales, et Inhibitoriales literas, quas ab

iisdem Notariis, eorumque Substitutis, scientibus, vel insciis Judicibus, vel alias quomodolibet in posterum expediri contigerit, sedulo cognosci, et examinari per fide dignas Personas a Nobis opportune deputandas, quae si deprehenderint, easdem Inhibitiones contra hujus Constitutionis formam, et ad subterfugienda Ordinariorum, et Episcoporum judicia, quaesito gravaminis colore, fuisse perperam concessas, et expeditas, in eosdem Notarios, et Substitutos Canonicis poenis, aliisque a Nobis supra expressis, severe pro modo culpae animadvertant.

§. 50. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari; Sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae praefatae Cardinales, etiam de latere Legatos, et ejusdem Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 51. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, ac usibus, et stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, praefatis, aliisque quibuslibet Judicibus, Curiis, Tribunalibus, et Personis, etiam quantumvis sublimibus, et specialissima mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, et innovatis: Quibus omnibus, et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad ver-

bum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 52. Ut autem eaedem praesentes literae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiae Lateranensis, et Basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae Apostolicae, Curiaeque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi, et publicari, sicque publicatas, et affixas omnes, et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare, ac afficere, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatae fuissent: ipsarum autem literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu tamen alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in judicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

§. 53. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, constitutionis, declarationis, annullationis, admonitionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae aqud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, tertio Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno II.

LXXXIV. Erzbischöflich Cölnische Bekanntmachung vom 26. December 1848. die Constituirung geistlicher Gerichte betreffend*).

Nachdem ich im Laufe der Diöcesanverwaltung die Wahrnehmung gemacht hatte, dass die beiden Abtheilungen des Erz-

*) Recepi hoc edictum tanquam specimen, qua ratione gravis haec quaestio in praesenti rerum statu tractanda sit.

bischöflichen General-Vikariats, insbesondere die II. Abtheilung zur Behandlung der Disciplinar- und Ehesachen, wie ich dieselben bei meinem Antritte der Administration des Erzbisthums vorgefunden habe, eine Umgestaltung wünschenswerth machen; so habe ich, in der Absicht, diesen wichtigen Zweig meines Oberhirtenamtes angemessen zu ordnen, bereits unter dem 12. Januar 1847 bei dem Königlichen Ministerium der Geistlichen Angelegenheiten einen erschöpfenden Antrag darüber vorgelegt, in welcher Weise dem Bedürfnisse abzuhelfen und namentlich die für die II. Abtheilung des General-Vicariates erforderlichen Stellen zu bestimmen, sowie welche Personen zu deren Besetzung zu berufen seien. Es ist mir jedoch damals nicht gelungen, das erwünschte Ziel zu erreichen. Da aber nunmehr die mehrfachen, früher entgegenstehenden Hindernisse beseitigt sind, so habe ich mich bewogen gefunden die II. Abtheilung des Erzbischöflichen General-Vikariates in zweckmässiger Weise umzugestalten. Ich verordne daher hierüber, wie folgt:

§. 1. In allen Verwaltungssachen wird mein General-Vikariat — der General-Vikar mit dem Kanzler des Erzbisthums und den beigeordneten Räthen und Assessoren — fortfahren, die vorkommenden administrativen Geschäfte nach den bestehenden Gesetzen und Bestimmungen in dem bisher beobachteten Geschäftsgange vorzunehmen.

§. 2. Die Ausübung der dem Diözesanbischof zustehenden freiwilligen Gerichtsbarkeit, sowie alle nach den Kirchensatzungen und der bestehenden Diözesanverfassung (vergl. §. 16) zu treffende aussergerichtliche Massnahmen behalte ich mir und meinem General-Vikar ausschliesslich vor.

§. 3. Zur Ausübung der dem Ordinarius zustehenden contentiösen Gerichtsbarkeit aber, welche die gerichtliche Behandlung und Entscheidung der in der Erzdiöcese bezüglich der Disziplinar- und Ehesachen vorkommenden Streitigkeiten zum Gegenstande hat, setze ich eine besondere Gerichtsstelle ein, welcher ich die Benennung „Erzbischöfliches Officialat“ ertheile. Das Erzbischöfliche Officialat soll fortan in diesen contentiösen Disziplinar- und Ehesachen als Disziplinargericht und Consistorium I. Instanz gerichtlich zu verhandeln und zu entscheiden haben.

§. 4. Da mir überdies als Erzbischof und Metropolit, ausser der Jurisdiction eines Ordinarius, auch die Metropolitangerichtsbarkeit II. Instanz sowohl für die aus den übrigen Bisthümern

der Kirchenprovinz, wie für die aus der Erzdiöcese selbst eingelegten Appellationen zusteht, so setze ich zugleich mein Officialat auch für alle aus den übrigen Bisthümern in Disziplinar- und Ehesachen eingebrachten Berufungen ein. Dasselbe soll in solchen Fällen die Benennung „Erzbischöfliches Metropoliticum I. Abtheilung als Disziplinar- und Ehegericht II. Instanz" führen, und in allen vorgenannten Fällen in II. Instanz gerichtlich zu verhandeln und zu erkennen haben.

§. 5. Für die aus der Erzdiöcese selbst eingelegten Appellationen aber errichte ich eine zweite besondere geistliche Gerichtsstelle. Dieselbe wird die Benennung „Metropoliticum II. Abtheilung als Disciplinar- und Ehegericht II. Instanz" führen, und über alle aus der Erzdiözese eingebrachten Berufungen in Ehe- und Disziplinarsachen — in sofern über Letztere eine Appellation zulässig ist (unten §. 15) — in zweiter Instanz verhandeln und erkennen.

§. 6. Das Erzbischöfliche Officialat wird sowohl als Disziplinargericht und Consistorium I. Instanz (§. 3), wie auch in seinem weitern Wirkungskreise als Metropoliticum I. Abtheilung (§. 4) aus folgenden Gliedern bestehen:

a) einem Präses mit der Eigenschaft und Benennung „Erzbischöflicher Offizial,"

b) dem Kanzler des Erzbisthums, als Justiziar,

c) einem Promotor in Disziplinar- und anderen geistlichen Rechtssachen,

d) einem Defensor matrimonii in Ehesachen,

e) zwei Offizialatsräthen,

f) zwei Offizialatsassessoren, und

g) einem Actuar.

§. 7. Das Metropoliticum II. Abtheilung für die Appellationen aus der Erzdiöcese (§. 5) wird aus folgenden Gliedern bestehen:

a) einem Director als Vorsitzenden,

b) dem Erzbischöflichen Kanzler, als Justiziar,

c) dem Promotor in Disziplinar- und andern geistlichen Rechtssachen,

d) dem Defensor matrimonii in Ehesachen,

e) zwei Räthen,

f) zwei Assessoren, und

g) einem Actuar.

§. 8. Den Räthen und Assessoren des Offizialates steht

sowohl bei allen Verhandlungen in I. Instanz (§. 3), als auch bei allen, bei demselben in II. Instanz vorkommenden Appellationen (§. 4) eine entscheidende Stimme zu. Der vorsitzende und leitende Offizial spricht das Urtheil nach Mehrheit der Stimmen aus. Der Erzbischöfliche Kanzler wird jedesmal sein Gutachten über den Stand der obschwebenden Sache im Sinne der Anwendung und Aufrechthaltung der Gesetze und andrer einschlägigen Bestimmungen abgeben; bei der Findung des Urtheils stimmt jedoch derselbe nicht mit.

§. 9. Die nämlichen Vorschriften des vorhergehenden Paragraphs finden auch bei dem Metropoliticum II. Abtheilung (§. 5) ihre vollständige Anwendung.

§. 10. Zur Gültigkeit der Urtheile müssen mit dem Offizial, oder dem Vorsitzenden der betreffenden Abtheilung des Metropoliticums mindestens zwei Votanten an der Verhandlung und dem Urtheilspruche Theil nehmen.

§. 11. Für alle Appellationen, welche aus den übrigen Diözesen der Kirchenprovinz an das Offizialat als I. Abtheilung des Metropoliticums eingebracht werden, behalte ich mir selbst das Präsidium bevor, so oft ich solches für angemessen erachte. In einem solchen Falle nimmt der Offizial als erster Rath des Metropoliticums an den Verhandlungen Theil, wogegen Einer der Räthe oder Assessoren für dieses Mal ausscheidet. Den noch theilnehmenden Räthen und Assessoren steht alsdann nur eine berathende Stimme zu.

§. 12. In allen gerichtlichen Ehestreitigkeiten hat das Erzbischöfliche Offizialat, sowohl als solches in I. Instanz, wie auch als Metropoliticum I. Abtheilung in II. Instanz, allzeit nach dem gemeinen canonischen Rechte und im gewöhnlichen canonischen Processgange, in soweit dieses zulässig und ausführbar ist, zu verhandeln und zu erkennen.

§. 13. Das Metropoliticum II. Abtheilung wird ebenfalls in Ehesachen nach dem nämlichen canonischen Rechte und in demselben canonischen Processgange, in soweit dieses zulässig und ausführbar ist, verhandeln und erkennen.

§. 14. In ganz gleicher Weise ist auch in allen Disciplinarsachen, welche solche Geistliche betreffen, die ein kirchliches Benefizium besitzen, sowie in Benefizialsachen, bei dem Offizialate, sowohl als solchem in I. Instanz, wie als Metropoliticum I. Abtheilung in II. Instanz, und eben so bei dem Metropoliticum II. Abtheilung das gemeine canonische Recht

und der gewöhnliche canonische Processgang, soweit Beides zulässig und ausführbar ist, einzuhalten.

§. 15. Bezüglich der Behandlung und Aburtheilung jener Disciplinarsachen aber, welche solche Geistliche der Erzdiöcese betreffen, die nicht im Besitze eines kirchlichen Benefiziums sind, werde ich sowohl für das Offizialat, als I. Disziplinar-Instanz, eine eigene Verfassung und Instruktion erlassen, in welcher das Prozess- und Strafverfahren, sowie die Fälle, in welchen eine Appellation zulässig sein wird, nach den Grundzügen des canonischen Rechtes und Prozesses, in wieweit dieselben nach der in der Erzdiöcese Köln bestehenden Kirchenverfassung zulässig und ausführbar sind, werden vorgezeichnet und näher bestimmt werden.

§. 16. Indessen soll aber bereits von jetzt an und noch vor dem Erlasse dieser Verfassung und Instruktion das Offizialat die in dem vorhergehenden Artikel bemerkten Disciplinarsachen, welche ich, oder mein General-Vikar, demselben zuweisen werden, als vorläufig einzige Instanz, in summarischem Verfahren zu behandeln haben. Dasselbe hat bei deren Untersuchung, Verfolgung und schliesslicher Aburtheilung nach den in der Erzdiözese geltenden Normen, wie solche bisher in dem Geschäftsgange bei meinem General-Vikariate sind eingehalten worden, zu verhandeln.

§. 17. Da vorstehende Einrichtung, meiner Absicht nach, dazu dienen wird, dass die Ausübung der mir als Ordinarius und Metropolit zustehenden contentiösen Gerichtsbarkeit sowohl im Interesse der Erzdiöcese und deren Verwaltung in Handhabung der Kirchenzucht, als auch zum Wohle der Betheiligten, angemessen geregelt, erleichtert und gefördert werde, so soll dieselbe vorläufig zur Ausführung kommen; ich behalte mir aber vor, in allen vorstehenden Bestimmungen jederzeit solche Ergänzungen und Aenderungen vorzunehmen, welche sich durch die Erfahrung, oder in anderer Weise als nothwendig oder angemessen ergeben werden.

Köln, am 26. Dezember 1848.

Der Erbischof von Köln,
(gez.) † Johannes.

D) Bona ecclesiastica.

LXXXV. Décret impérial du 30. décembre 1809 concernant les fabriques.

Vu l'article 76 de la loi du 18 germinal an X;
Sur le rapport de nos ministres de l'intérieur et des cultes;
Notre conseil d'État entendu,
Nous avons décrété et décrétons ce qui suit:

Chapitre Premier.
De l'administration des fabriques.

Art. 1. Les fabriques dont l'article 76 de la loi du 18 germinal an X a ordonné l'établissement, sont chargées de veiller à l'entretien et à la conservation des temples; d'administrer les aumônes et les biens, rentes et perceptions autorisées par les lois et réglemens, les sommes supplémentaires fournies par les communes, et généralement tous les fonds qui sont affectés à l'exercice du culte; enfin, d'assurer cet exercice, et le maintien de sa dignité, dans les églises auxquelles elles sont attachées, soit en réglant les dépenses qui y sont nécessaires, soit en assurant les moyens d'y pourvoir.

2. Chaque fabrique sera composée d'un conseil, et d'un bureau de marguilliers.

Section Première.
Du conseil.
§. I. De la composition du conseil.

Art. 3. Dans les paroisses où la population sera de cinq mille ames ou au-dessus, le conseil sera composé de neuf conseillers de fabrique; dans toutes les autres paroisses, il devra l'être de cinq: ils seront pris parmi les notables; il devront être catholiques et domiciliés dans la paroisse.

4. De plus, seront de droit membres du conseil,

1) Le curé ou desservant, qui y aura la première place et pourra s'y faire remplacer par un de ses vicaires;

2) Le maire de la commune du chef-lieu de la cure ou succursale; il pourra s'y faire remplacer par l'un de ses adjoints:

si le maire n'est pas catholique, il devra se substituer un adjoint qui le soit, ou, à défaut, un membre du conseil municipal, catholique. Le maire sera placé à la gauche, et le curé ou desservant à la droite du président.

5. Dans les villes où il y aura plusieurs paroisses ou succursales, le maire sera de droit membre du conseil de chaque fabrique; il pourra s'y faire remplacer comme il est dit dans l'article précédent.

6. Dans les paroisses ou succursales dans lesquelles le conseil de fabrique sera composé de neuf membres, non compris les membres de droit, cinq des conseillers seront, pour la première fois, à la nomination de l'évèque, et quatre à celle du préfet: dans celles où il ne sera composé que de cinq membres, l'évêque en nommera trois, et le préfet deux. Ils entreront en fonctions le premier dimanche du mois d'avril prochain.

7. Le conseil de fabrique se renouvelera partiellement tous les trois ans, savoir, à l'expiration des trois premières années dans les paroisses où il est composé de neuf membres, sans y comprendre les membres de droit, par la sortie de cinq membres qui, pour la première fois, seront désignés par le sort, et des quatre plus anciens après les six ans révolus; pour les fabriques dont le conseil est composé de cinq membres, non compris les membres de droit, par la sortie de trois membres désignés par la voie du sort, après les trois premières années, et des deux autres après les six ans révolus. Dans la suite, ce seront toujours les plus anciens en exercice qui devront sortir.

Les conseillers qui devront remplacer les membres sortans, seront élus par les membres restans.

8. Lorsque le remplacement ne sera pas fait à l'époque fixée, l'évêque ordonnera qu'il y soit procédé dans le délai d'un mois; passé lequel délai, il y nommera lui-même, et pour cette fois seulement.

Les membres sortans pourront être réélus.

9. Le conseil nommera au scrutin son secrétaire et son président; ils seront renouvelés le premier dimanche d'avril de chaque année, et pourront être réélus. Le président aura, en cas de partage, voix prépondérante.

Le conseil ne pourra délibérer que lorsqu'il y aura plus de la moitié des membres présens à l'assemblée; et tous les membres présens signeront la délibération, qui sera arrêtée à la pluralité des voix.

§. II. Des séances du conseil.

Art. 10. Le conseil s'assemblera le premier dimanche du mois d'avril, de juillet, d'octobre et de janvier, à l'issue de la grand' messe ou des vêpres, dans l'église, dans un lieu attenant à l'église ou dans le presbytère.

L'avertissement de chacune de ses séances sera publié, le dimanche précédent, au prône de la grand' messe.

Le conseil pourra de plus s'assembler extraordinairement, sur l'autorisation de l'évêque ou du préfet, lorsque l'urgence des affaires ou de quelques dépenses imprévues l'exigera.

§. III. Des fonctions du conseil.

Art. 11. Aussitôt que le conseil aura été formé, il choisira au scrutin, parmi ses membres, ceux qui, comme marguilliers, entreront dans la composition du bureau; et, à l'avenir, dans celle de ses sessions qui répondra à l'expiration du temps fixé par le présent réglement pour l'exercice des fonctions de marguilliers, il fera également, au scrutin, élection de celui de ses membres qui remplacera le marguillier sortant.

12. Seront soumis à la délibération du conseil,

1) Le budget de la fabrique;

2) Le compte annuel de son trésorier;

3) L'emploi des fonds excédant les dépenses, du montant des legs et donations, et le remploi des capitaux remboursés;

4) Toutes les dépenses extraordinaires au-delà de cinquante francs dans les paroisses au-dessous de mille ames, et de cent francs dans les paroisses d'une plus grande population;

5) Les procès à entreprendre ou à soutenir, les baux emphytéotiques ou à longues années, les aliénations ou échanges, et généralement tous les objets excédant les bornes de l'administration ordinaire des biens des mineurs.

Section II.

Du bureau des marguilliers.

§. I. De la composition du bureau des marguilliers.

Art. 13. Le bureau de marguilliers se composera,

1) Du curé ou desservant de la paroisse ou succursale, qui en sera membre perpétuel et de droit;

2) De trois membres du conseil de fabrique.

Le curé ou desservant aura la première place, et pourra se faire remplacer par un de ses vicaires.

14. Ne pourront être en même temps membres du bureau les parens ou alliés, jusques et compris le dégré d'oncle et de neveu.

15. Au premier dimanche d'avril de chaque année, l'un des marguilliers cessera d'être membre du bureau, et sera remplacé.

16. Des trois marguilliers qui seront pour la première fois nommés par le conseil, deux sortiront successivement par la voie du sort, à la fin de la première et de la seconde année, et le troisième sortira de droit la troisième année revolue.

17. Dans la suite, ce seront toujours les marguilliers les plus anciens en exercice qui devront sortir.

18. Lorsque l'élection ne sera pas faite à l'époque fixée, il y sera pourvu par l'évêque.

19. Ils nommeront entre eux un président, un secrétaire et un trésorier.

20. Les membres du bureau ne pourront délibérer s'ils ne sont au moins au nombre de trois.

En cas de partage, le président aura voix prépondérante.

Toutes les délibérations seront signées par les membres présens.

21. Dans les paroisses où il y avait ordinairement des marguilliers d'honneur, il pourra en être choisi deux par le conseil parmi les principaux fonctionnaires publics domiciliés dans la paroisse. Ces marguilliers, et tous les membres du conseil, auront une place distinguée dans l'église; ce sera le banc de l'oeuvre: il sera placé devant la chaire autant que faire se pourra. Le curé ou desservant aura, dans ce banc, la première place, toutes les fois qu'il s'y trouvera pendant la prédication.

§. II. Des séances du bureau des marguilliers.

Art. 22. Le bureau s'assemblera tous les mois, à l'issue de la messe paroissiale, au lieu indiqué pour la tenue des séances du conseil.

23. Dans les cas extraordinaires, le bureau sera convoqué, soit d'office par le président, soit sur la demande du curé ou desservant.

§. III. Fonctions du bureau.

Art. 24. Le bureau des marguilliers dressera le budget de la fabrique, et préparera les affaires qui doivent être portées au conseil; il sera chargé de l'exécution des déliberations du conseil, et de l'administration journalière du temporel de la paroisse.

25. Le trésorier est chargé de procurer la rentrée de toutes les sommes dues à la fabrique, soit comme faisant partie de son revenu annuel, soit à tout autre titre.

26. Les marguilliers sont chargés de veiller à ce que toutes fondations soient fidèlement acquittées et exécutées suivant l'intention des fondateurs, sans que les sommes puissent être employées à d'autres charges.

Un extrait du sommier des titres contenant les fondations qui doivent être desservies pendant le cours d'un trimestre, sera affiché dans la sacristie, au commencement de chaque trimestre, avec les noms du fondateur et de l'ecclésiastique qui acquittera chaque fondation.

Il sera aussi rendu compte à la fin de chaque trimestre, par le curé ou desservant, ou bureau des marguilliers, des fondations acquittées pendant le cours du trimestre.

27. Les marguilliers fourniront l'huile, le pain, le vin, l'encens, la cire, et généralement toutes les objets de consommation nécessaires à l'exercice du culte; ils pourvoiront également aux réparations et achats des ornemens, meubles et ustensiles de l'église et de la sacristie.

28. Tous les marchés seront arrêtés par le bureau des marguilliers, et signés par le président, ainsi que les mandats.

29. Le curé ou desservant se conformera aux réglemens de l'évêque pour tout ce qui concerne le service divin, les prières et les instructions, et l'acquittement des charges pieuses imposées par ses bienfaiteurs, sauf les réductions qui seraient faites par l'évêque, conformément aux règles canoniques, lorsque le défaut de proportion des libéralités et des charges qui en sont la condition l'exigera.

30. Le curé ou desservant agréera les prêtres habitués, et leur assignera leurs fonctions.

Dans les paroisses où il en sera établi, il désignera le sacristainprêtre, le chantre-prêtre et les enfans de choeur.

Le placement des bancs ou chaises dans l'église ne pourra être fait que du consentement du curé ou desservant, sauf le recours à l'évêque.

31. Les annuels auxquels les fondateurs ont attaché des honoraires, et généralement tous les annuels emportant une rétribution quelconque, seront donnés de préférence aux vicaires, et ne pourront être acquittés qu'à leur défaut par les prêtres

habitués ou autres ecclesiastiques, à moins qu'il n'en ait été autrement ordonné par les fondateurs.

32. Les prédicateurs seront nommés par les marguilliers, à la pluralité des suffrages, sur la présentation faite par le curé ou desservant, et à la charge par lesdits prédicateurs d'obtenir l'autorisation de l'ordinaire.

33. La nomination et la révocation de l'organiste, des sonneurs, des bedeaux, suisses ou autres serviteurs de l'église, appartiennent aux marguilliers, sur la proposition du curé ou desservant.

34. Sera tenu le trésorier de présenter, tous les trois mois, au bureau des marguilliers, un bordereau signé de lui, et certifié véritable, de la situation active et passive de la fabrique pendant les trois mois précédens; ces bordereaux seront signés de ceux qui auront assisté à l'assemblée, et déposés dans la caisse ou armoire de la fabrique, pour être représentés lors de la reddition du compte annuel. Le bureau déterminera, dans la même séance, la somme nécessaire pour les dépenses du trimestre suivant.

35. Toute la dépense de l'église et les frais de sacristie seront faits par le trésorier; et en conséquence il ne sera rien fourni par aucun marchand ou artisan sans un mandat du trésorier, au pied duquel le sacristain, ou toute autre personne apte à recevoir la livraison, certifiera que le contenu au dit mandat a été rempli.

Chapitre II.
Des revenus, des charges, du budget de la fabrique.
Section première.
Des revenus de la fabrique.

Art. 36. Les revenus de chaque fabrique se forment,

